MARCI HIERONYMI

VIDÆ

DE ARTE POETICA

LIBRI TRES.

11405.aa

Out of Mr POPE's *Criticism.*

But see! each Muse, in LEO's golden days,
Starts from her trance, and trims her wither'd bays!
Rome's ancient *Genius*, o'er its ruines spread,
Shakes off the dust, and rears his reverend head!
Then Sculpture and her sister-arts revive;
Stones leap'd to form, and rocks began to live;
With sweeter notes each rising Temple rung;
A RAPHAEL painted, and a VIDA sung!
Immortal VIDA! on whose honour'd Brow
The Poet's bays, and Critic's ivy grow:
Cremona now shall ever boast thy name,
As next in place to *Mantua*, next in fame!

MARCI HIERONYMI VIDÆ, CREMONENSIS, ALBÆ EPISCOPI, DE ARTE POETICA LIBRI TRES.

Autoris Vitam præmisit, & Annotationes adjecit THO. TRISTRAM, A. M. Coll. *Pemb. Oxon.* Socius.

Editio Secunda.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,
MDCCXXIII.

Prostant venales apud *Gul.* & *Joan. Innys* Bibliopol. *Londinensem*, *Ant. Peisley* & *Steph. Kiblewhite* Bibliopol. *Oxonienses*.

Imprimatur,

ROB. SHIPPEN,

Vice-Can. *Oxon.*

Oct. 28. 1721.

DE AUTORIS VITA, ET SCRIPTIS.

MARCUS HIERONYMUS VIDA, *Cremonæ* natus, *Gelelmum Vidam* & *Leonam Oſcaſalam* parentes habuit. 1 Eos, pro generis nobilitate, res oppreſſit anguſtior, avitis opibus (quo caſu incertum) quam plurimum imminutis. Filium nihilominus ingenuis artibus inſtituendum, ne ad ſtudia natalibus indigna deprimeretur, enixe curaverunt. Hic itaque, poſtquam 2 *Cremonæ* & 3 *Mantuæ* primis literarum elementis & philoſophia optime imbutus eſſet, *Patavium* mittitur. Ibi & *Bononiæ* animum ad Poeſin & Theologiam appellens laudis futuræ ſedulo fundamenta jecit. Quot annos his in locis egerit, vel quo tempore *Cremonam*, hinc rediens, reviſerit, fruſtra quæſivimus. In patria autem, prope dilectas *Serii* ripas adeo ſuavi lenique carminum curſu, ipſiuſque fluminis non abſimili, 4 paſſim decantati (ad quas ſe 5 puerum ceciniſſe ipſe teſtis eſt) eum non ita diu commoratum fuiſſe ſatis conſtat. 6 Canonicorum enim Regularium Divi *Marci* apud *Mantuanos Auguſtinianam* domum vix ephebus ſubivit. 7 Nec multo poſtea, quippe

1 *Vida* in Carm. cui Tit. *Gelelmi Vida & Leona Oſcaſalæ* Parentum Manibus v. 60. 2 *Celſus de Roſinis* in *Lyceo Laterane-ſi*, & *Barth. Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* 3 *Boiſſardus* in *Icon. Viror. Illuſt.* 4 *Bombyc.* L. 2. *Poet.* L. 1. & Eclog. 2. 5 *Scaccb.* v. penult. 6 *Celſ. de Roſinis* in *Lyc. Lat.* & *Ghilini* in *Teat. D' Huom. Let.* 7 *Joannes Imperialis*, in *Muſeo Hiſtor.* & *Freherus*, in *Theatr. Vir. Clar.*

adoleſcens admodum, caris parentibus longum vale dicto, *Romam* conceſſit, in Canonicorum Regularium Divi *Joannis Lateranenſis* congregationem aſcitus. [1] Hic dum poeſeos & Theologiæ gloria floruerit, & virtutes cum ætate pariter accreverint, earum fama late innoteſcens aures *Leonis* X. attigit. Pontifex optimus, pro affectu ſuo in literatos ſingulari, tanti viri amicitia carere noluit. Eum igitur e cœnobii tenebris ad *Romanam* curiam evocavit. Ad ſe propius admotum, penitiuſque cognitum, [2] adprime habuit in deliciis, & muneribus auxit.

INGENIUM *Vidæ* licet hactenus levioribus argumentis præcipue fuerat exercitatum, omnium tamen judicio idoneum videbatur & par graviſſimis exornandis. *Leoni* igitur cum in animo eſſet, ut inveniret aliquem qui *Chriſtianæ* Religionis Autorem & Ducem *Maronianis* numeris non indigne celebraret, quò argumentum adeo ſublime minus dehoneſtaretur, [3] autorem noſtrum, propoſitis præmiis, ad ſcribendam *Chriſtiadæ* cohortatus eſt. *Vida*, utcunque imparem ſe muneri impoſito verecundior judicaret, Pontificis imperio morem gerendum eſſe cenſuit. Opus igitur arduum & (ut ipſe [4] vocat) periculoſum aggreditur; quod ut felicius exigeret, [5] Prioratu *Tuſculano* Divi *Silveſtri* donatus eſt, ubi ſtrepitu moleſtiiſque Aulicorum ſemotus blando Muſarum commercio magis vacaret.

At vero hic loci debitæ laudes nequaquam denegandæ ſunt *Joanni Matthæo Giberto*, cui *Vida* noſter acceptum videtur referre, quod ea apud *Leonem* valeret gratia, præſertim quod [6] Prioratum hunc ab eo obtineret. Quorum utriuſque, & *Leonis* & *Giberti*, beneficia gratiſſimo uſque recoluit animo; quod abunde teſtantur iſta carmina, [7] tum quibus eos in terris adhuc agentes celebravit, [8] tum quibus eorum mortem, ubi ſpes mercedis eſſe deſiit, pie deflevit.

1 *Barth. Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* *Freherus* in *Theatr. Vir. Clar.* & *J. Imperialis* in *Muſ. Hiſtor.* 2 *Vida* in Poem. cui Tit. *Gelel. Vida* & *Leon. Oſc.* Par. Man. *v.* 17. 3 *Vida* in P. S. ad *Chriſt.* 4 Id. ib. 5 *Barth. Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* *Joan. Imperialis* in *Muſeo Hiſt.* & *Freherus* in *Theatr. Vir. Clar.* 6 *Vida* in Od. 1. ad *J. M. Gibertum.* 7 Scil. Oda *Leoni* X. inſcripta, duæ Odæ & Epiſtola ad *J. M. Gibertum.* 8 *Poet.* L. 2. ſub fin. Epiſt. ad *J. M. Gibertum* v. 26. Carmen cui Tit. *Joan. M. Giberto* non in Apotheoſin relato.

VIDA *Tuſculi* factus incola quieto potitus eſt illo vitæ genere quod [1] diu appetiverat; eodem plane quod [2] *Poeticorum* Libro I. egregium quicquam inchoanti quærendum eſſe ſtatuit, & tantis effert laudibus. Hic literato beatus otio patrem *Virgilium* non magis carminum gloria æmulatus eſt, quam ſecreto a vulgi oculis ſeceſſu, in quo (teſte Aut. *Dial. De Cauſ. Corr. Eloq.*) princeps ille poetarum neque apud Divum *Auguſtum* gratia caruit, neque apud *Romanos* notitia. [3] In hac peramœna & amiciſſima Muſis ſede exequendis patroni mandatis ſedulus incubuit. Interea vero ſe non ita ſecluſit, quaſi prorſus lateret; non ita huic uni operi incubuit, quaſi ad cætera omnia ineptus & inutilis futurus; [4] eruditorum hominum conſortio ſeſe lubens expoſuit, labori voluptatem, utili dulce ſapienter attemperans. [5] Omnibus enim ingenii & literarum nomine inſignioribus domum ſuam, quaſi publici juris factam, nunquam non patere voluit. [6] Ita purioribus vitæ gaudiis animum oblectans felicitatis apicem ſibi viſus eſt attingere. At voluptates haſce innocuas duplici infortunio violatas habuit. [7] Dum enim apud *Tuſculanos* ageret, parentes eodem fere mortis telo perculſi, *Cremonæ* ſupremum diem obierunt. Quanto mœroris ſenſu nuntium tam acerbum Filius cum primis pius acceperit, abunde patet e lugubri illo carmine quod eorum Manibus conſecravit. Idem etiam circa tempus morti ceſſit *Leo* X. cum quo & ſpes & ratio ſtudiorum poetæ noſtro aliquandiu defecerunt. Hæ vero, duobus annis nondum elapſis, poſt *Adriani* VI. mortem, cum *Clemente* VII. ad Pontificatum evecto renatæ ſunt. [8] Ille abſolvendam *Chriſtiadæ* denuo *Vidæ* demandavit, [9] & abſolutam, una cum autore ſuo, jampridem per communionem ſtudiorum cognito, benigniſſime excepit. [10] A. D. MDXXXII. *Febr.* die ſexto eum *Albæ Pom-*

---

1 *Od.* 1. ad *J. M. Gibertum.* 2 V. 489. 3 *J. Imperialis* in *Muſeo Hiſtor.* & *Bar. Botta* in Præf. ad Comm. in *Chriſt.* 4 *J. Imperialis* in *Muſ. Hiſt. Freherus* in *Theatro Vir Clar.* & *Bart. Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* 5 *Bart. Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* 6 V. Carm. cui Tit. *Gelel. Vida* & *Leon. Oſc.* Par. Manib. 7 V. v. 4. ejuſd. Carm. 8 Vid. P. S. ad *Chriſtiada.* 9 *Freherus* in *Theat. Vir. Clar.* & *Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt.* 10 *Ughellus* in *Italia Sacra* Tom. 4.

peia ad *Tenarum* Epiſcopatu, (per *Antonii Moli* mortem vacante) præmio tanti operis meritiſſimo, donavit.

VIDA poſt dignitatem hanc acquiſitam [1] per duos plus minus annos cum *Clemente Romæ* vixit. [2] His exactis, noluit in urbe vel ignavus diutius morari, vel ambitioſus (prout hodie quorundam mos eſt) ulterioribus titulis & honoribus inhiare. *Albam* igitur ſe contulit Epiſcopus, ut populo ſibi commiſſo fidelius invigilaret. Cumque ampliorem agendi campum adeptus eſſet, ſpem de eo conceptam minime fefellit. Virtutes, quas in animo privatus conceperat, jam in publicum provectus cum honore exercuit. [3] Et ſincera in Deum pietate, & ſimplici vitæ innocentia ſpectabilis, non minus exemplar morum, quam cenſorem ſe exhibuit. Divino cultui adeo feliciter proſpexit, ut, [4] templorum alia prorſus exſtruendo, religionem quaſi de novo inſtauraverit; alia reficiendo, nitorem quendam ei addiderit & venerationem. Singulis denique quæ Dei Opt. Max. gloriam quomodocunque promoverent faciendis ſe ſuaque omnia addixit. Nec integerrimi Præſulis tantum, ſed & amantiſſimi Patris, nomen ab *Albenſibus* promeruit. [5] Quum enim a *Gallis* oppugnaretur *Alba*, civitati accerrimis cohortationibus, ne ſe in manus hoſtium dederent, perſuaſit, plebemque fame laborantem propriis impenſis liberaliter ſuſtentavit. [6] Talibus humani ingenii, animique in eos quibus præfuit propenſiſſimi officiis per univerſum vitæ decurſum præſtitis, allexit omnium ſibi benevolentiam. Ita per annos triginta quinque populum *Albenſem* felicibus gubernavit auſpiciis. [7] A. D. MDLXVI. *Septembris* die viceſimo ſeptimo, ſenio confectus, [8] quippe nonagenario major, in eadem, qua vixerat, pietate placi-

---

1 *Ghilini* in *Teatro D' Huomini Letterati*, & *Freherus* in *Theat. Vir. Clar.* 2 Iidem Autores. 3 *Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt. Ghilini* in *Teatro D' Huomini Lett. Celſus de Roſinis* in *Lycæo Lateran.* & *Freherus* in *Theat. Vir. Clar.* 4 Vid. Autoris *Hymn.* 2 *Divo Paulo Apoſtolo, Hymn. Divo Caſſiano Martyri, Hym.* 2. *Diva Margarita Virgini*, & *Freherum in Theat. Clar. Vir.* 5 *Celſus de Roſinis* in *Lycæo Lateran.* 6 *Botta* in Præf. ad Com. in *Chriſt. Freherus* in *Theatr. Clar. Vir.* 7 *Thuanus Hiſt.* L. 39. *Freherus* in *Theat. Vir. Clar. Ughellus* in *Ital. Sacr.* Tom. 4. *Ghilini* in *Teatro D' Huom. Let. Cavitellius* in *Cremonens. Annal.* &c. 8 *Celſus de Roſinis* in *Lycæo Lat.*

de

de ad Deum migravit. [1] Defuncti Reliquiæ cum insigni funeris pompa, & officio luctus non mediocri, comitantibus omnium ordinum *Albensibus*, elatæ sunt, & in Ecclesia sua Cathedrali sepultæ. [2] Paulo post, *Cremonenses* alumno de illis optime merito, exequiis in majori urbis templo magna frequentia celebratis, & publicis elogiis honorifice parentarunt, [3] eique splendidum monumentum erexerunt sequenti ornatum Epitaphio.

D. O. M.
MARC. HIER. VIDÆ ALBÆ EPISCOPO,
QUEM PROBE OMNES NORUNT,
CIVITAS CREMONA, DECRETO SEPULCHRO SUMPTU
PUB. CIVI
QUI DE UNIVERSA CIVITATE B. M. EST
PARENTAVIT
V. A. N.
QUI, CUM QUICQUID IN EGREGIUM HOMINEM
LAUDIS DICI POTEST
IN EUM BENEFICIO NAT. FUERIT COLLATUM,
IMMORTALITATE ERAT DIGNUS,
NISI NATURÆ COMMUNIS CONDITIO OBSTITISSET.
VIVIT TAMEN ADHUC APUD NOS,
VIVETQUE ÆTERNUM AD POSTEROS BENEF.
JUCUNDISS.
AC PERPETUA RECORDATIONE.
QUI OMNIBUS ERGA GREGEM SIBI COMMISSUM
OFFICIIS FUNCTUS,
PIETAT. CHARIT. FIDE, CONST. PRÆCLARUS,
OMNIBUS CHARUS,
NEMINI NOXIUS, A NOBIS DISCESSIT
SUO MAGIS, QUAM ALIORUM
TEMPORE.
QUI NON SOLUM PIE ET SANCTE DEUM COLUIT,
SED ITA ETIAM CECINIT, UT IN COELO LOCUM,
UBI BEATUS

---

1 Idem Autor. 2 *Thuanus* in *Hist.* Lib. 39. *Antonius Campus* in in *Hist. Cremon.* & *Cavitellius* in *Cremon. Annal.* 3 *Antonius Campus* in *Hist. Cremon. Ghil.* in *Teatro D' Huom. Let. Cavitellius* in *Cremon. Annal. Freherus* in *Theat. Vir. Clar.* & *Ughellus* in *Ital. Sac.* Tom. 4.

ÆVO SEMPITERNO FRUATUR,
ET IN TERRIS ÆTERNAM SIBI GLORIAM,
MAXIMO OMNIUM MORTALIUM FRUCTU,
COMPARARIT.
OBIIT ANNO MDLXVI.
XXVII SEPTEMB.

QUÆ *Vida* ſcripſit & agnovit poemata ab ipſo adhuc vivente in duos Tomos congeſta ſunt, & *Cremonæ* A. D. MDL. accurate impreſſa. Tomo primo continentur *Quæ ad Chriſti veritatem pertinent*, viz. HYMNI DE REBUS DIVINIS, & CHRISTIADOS LIBRI VI. Secundo, *Quæ* [*Autor*] *haud plane disjunxit a fabula*, viz. DE ARTE POETICA LIBRI III. DE BOMBYCE LIBRI II. SCACCHIA LIB. I. BUCOLICA, ECLOGÆ III. & CARMINA DIVERSI GENERIS. Præter comprehenſa hiſce Tomis poemata, *Vidæ* attribuunt [1] *Gyraldus*, [2] *Freherus*, & [3] *Borrichius*, XIII. ITALORUM PUGILUM CUM TOTIDEM GALLIS CERTAMEN; [4] *Ughellus*, [5] *Ghilinius*, [6] *Freherus*, & *Aut. Indicis Bibl. Barb.* CARMEN PASTORALE IN OBITUM JULII II. PONT. MAX. & *Idem Aut. Ind. Bib. Barb.* EPICEDION IN FUNERE OLIVERII CARDINALIS CARAPHÆ. Sed, hæc monente ipſius *Vidæ* [7] teſtimonio, adulterina cenſenda ſunt.

ORATIONE ſolnta ſcripſit *Vida* TRES DIALOGOS DE REIPUBLICÆ DIGNITATE, *Cremonæ* impreſſ. A. MDLVI. CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIB. I. *ibid.* impreſſ. A. MDLXII. & EPISTOLAM AD BARTHOLOMÆUM BOTTAM, illius commentario in *Chriſtiada* præmiſſam. Scripſit etiam, [8] ſi *Ghilinio* fides habenda ſit, LIBRUM DE MAGISTRATU, quem ſe vidiſſe teſtatur [9] *Antonius Poſſevinus*. Opus autem hoc [10] nec *Ghilinii* tempore, nec ad hunc uſque diem, quantum audivimus, in lucem prodiit. *Autor Indicis Bibl. Barb* & [11] *Celſus de Roſinis*, CREMONENSIUM ORATIONES TRES CONTRA PAPIENSES IN CONTROVERSIA PRINCIPATUS *Vidæ* adſcribunt. Has autem ei non temere eſſe adjudicandas [12] alibi innuimus.

24 OF 62

1 In 1. *Dial. de Poet. ſuor. Temp.* 2 In *Theat. Vir. Clar.* 3 In *Diſſ. Acadam. De Poet.* 4 In *Ital. Sac.* T. 4. 5 In *Teat. D' Huom. Let.* 6 In *Theat. Vir. Clar.* 7 Vid. Aut. P. S. Edit. *Cremon.* Oper. annexum. 8 Vid. *Teatro D' Huom. Let.* 9 Vid. *Celſum de Roſinis* in *Lycæo Lat.* 10 Vid. *Teat. D' Huom. Let.* 11 In *Lycæo Lat.* 12 Vid. *Annot.* ad v. 533. Lib. 3. *Poet.*

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM, AD FRANCISCUM, FRANCISCI Regis FRANCIÆ Filium, DELPHINUM, LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

INVOCATIO. Dedicatio ad Delphinum, *quem in* Hiſpania *exulantem VIDA conſolatur, & ad ſtudium Poeſeos invitat.* Heroicus *præ cæteris verſus laudatur.* Epici *carminis leges tradendæ proponuntur, quæ tamen alia carminum genera excolentibus non erunt inutiles. Eligenda materia ingenio congrua. Nil magnum derepente aggrediendum. Rerum Verborumque copia comparanda. Effigies Poematis oratione ſoluta primo fingenda. Muſis dicatus puer ab ætate tenera iis aſſueſcat, optimoque ſtatim præceptori tradatur.* Virgiliana *lectione imbuatur, &* Homerica. Homerus Græcorum *poetarum facile princeps. Illi quo quiſque ætate propior, eo præſtantior. Origo & progreſſus Poeſeos in* Italia. Virgilius *omnium in hoc laudis genere primus. Poſtea ſenſim degenerans Poeſis* Italiam *tandem, irruente Barbarie, penitus deſeruit; jampridem tamen ope inſignium virorum e gente* Medicea *revocatur.* Virgilium *ante omnes Puer veneretur, eumque imitetur; nulloſque in deliciis, niſi qui ſub* Auguſto *floruere, poetas habeat. Præceptor quærendus omnibus numeris abſolutus, & minime ſeverus; qui laudis ſpe & æmulatione, potius quam minis, animos juvenum excitet; quos ſemel his illecebris ad Poeſin ductos ipſius artis dulcedo facile detinebit. Ponuntur ſigna, quibus aptus ad hæc ſtudia ab inepto dignoſcatur. Nimis præcox ingenium improbatur. Ludi puero concedendi. Proprietates Ingeniorum diverſæ. Invigilandum præceptori ne blanditiis amoris Alumnus irretiatur. Pubeſcentem non Poeſeos tantum, ſed & aliarum artium, ſtudio oportet incumbere. Poetæ ſcribentis deſcriptio. Sumenda eſt æqua viribus materia. Quomodo Præceptor, quæ corrigenda ſunt, emendet. Seceſſus ruris egregium quicquam inchoanti petendus. In honore vates haberi æquum eſt, quippe qui Superis dilecti. Muſarum origo cœlitus ducta. Hymnus ad Deum poetarum præſidem.*

24 OC 62

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM,

Liber Primus.

SIT fas veſtra mihi vulgare arcana per orbem,
Pierides, penituſque ſacros recludere fontes;
Dum vatem egregium teneris educere ab annis,
Heroum qui facta canat, laudeſve Deorum,
Mente agito, veſtrique in vertice ſiſtere montis.
Ecquis erit juvenum, ſegni qui plebe relicta
Sub pedibus, pulchræ laudis ſuccenſus amore
Auſit inacceſſæ mecum ſe credere rupi,
Lætæ ubi Pierides, cithara dum pulcher Apollo
Perſonat, indulgent choreis, & carmina dicunt?
Primus ades, Franciſce: ſacras ne deſpice Muſas,
Regia progenies, cui regum debita ſceptra

Gallorum, cum firma annis acceſſerit ætas.
Hæc tibi parva ferunt jam nunc ſolatia dulces;
Dum procul à patria raptum, amplexuque tuorum,
Ah dolor! Hiſpanis ſors impia detinet oris,
HENRICO cum fratre: patris ſic fata tulerunt
Magnanimi, dum fortuna luctatur iniqua!
Parce tamen puer ô lachrymis; fata aſpera forſan
Miteſcent, aderitque dies lætiſſima tandem,
Poſt triſte exilium, patriis cum redditus oris
Lætitiam ingentem populorum, omneſque per urbes
Accipies plauſus, & lætas undique voces,
Votaque pro reditu perſolvent debita matres:
Interea te Pierides comitentur; in altos
Jam te Parnaſſi mecum aude attollere lucos.
Jamque adeo in primis ne te non carminis unum
Prætereat genus eſſe, licet celebranda reperti
Ad ſacra ſint tantum verſus, laudeſve Deorum
Dicendas, ne relligio ſine honore jaceret:
Nam traxere etiam paulatim ad cætera Muſas,
Verſibus & variis cecinerunt omnia vates.
Sed nullum e numero carmen præſtantius omni,
Quam quo, poſt Divos, heroum facta recenſent,

Ver-

Verſibus unde etiam nomen fecere minores,
Munere conceſſum Phœbi venerabile donum
Phemonoës, quæ prima dedit, ſi vera vetuſtas,
Ex adyto haud aliis numeris reſponſa per orbem.
Tu vero ipſe humeros explorans conſule primum,
Atque tuis prudens genus elige viribus aptum.
Nam licet hic Divos, ac Diis genitos heroas
In primis doceam canere, & res dicere geſtas,
Hæc tamen interdum mea te præcepta juvabunt,
Seu ſcenam ingrediens populo ſpectacula præbes,
Sive elegis juvenum lachrymas quibus igne medullas
Urit amor, ſeu paſtorum de more querelas
Et lites Siculi vatis modularis avena;
Sive aliud quodcunque canis quo carmine cunque,
Nunquam hinc, ne dubita, prorſum inconſultus abibis.
Atque ideo quodcunque audes, quodcunque paratus
Aggrederis, tibi ſit placitum, atque arriſerit ultro
Ante animo; nec juſſa canas, niſi forte coactus
Magnorum imperio regum, ſiquis tamen uſquam eſt
Primores inter noſtros qui talia curet.
Omnia ſponte ſua, quæ nos elegimus ipſi,
Proveniunt, duro aſſequimur vix juſſa labore.

Sed neque cum primum tibi mentem inopina cupido,
Atque repens calor attigerit, subito aggrediendum est
Magnum opus: adde moram, tecumque impensius ante
Consule, quicquid id est, partesque expende per omnes
Mente diu versans, donec nova cura senescat.
Ante etiam pelago quam pandas vela patenti,
Incumbasque operi incipiens, tibi digna supellex
Verborum rerumque paranda est, proque videnda
Instant multa prius, quorum vatum indiget usus
Illis tempus erit mox cum lætabere partis.
Sponte sua, dum forte etiam nil tale putamus,
In mentem quædam veniunt, quæ forsitan, ultro
Si semel exciderint, nunquam revocata redibunt,
Atque eadem studio frustra expectabis inani.
Nec mihi non placeant, qui, fundamenta laborum
Cum jaciunt, veterum explorant opera inclyta vatum
Noctes atque dies, passimque accommoda cogunt
Auxilia, intentique aciem per cuncta volutant.
Quin etiam prius effigiem formare solutis
Totiusque operis simulachrum fingere verbis
Proderit, atque omnes ex ordine nectere partes,
Et seriem rerum, & certos tibi ponere fines,

Per quos tuta regens veſtigia tendere pergas.
Jamque hic tempus erat dare vela vocantibus Euris,
Condendique operis primas præſcribere leges:
At prius ætati tenetæ quæ cura coleridæ
Dicendum; quantus puero labor impendendus.
Nulli etenim inſignem dabitur geſtare coronam,
Pieridum choreas teneris niſi norit ab annis.
Poſtquam igitur primas fandi puer hauſerit artes,
Jam tunc incipiat riguos accedere fontes,
Et Phœbum, & dulces Muſas affueſcat amare.
Ille autem parvum qui primis artibus ante
Imbuit, atque modos docuit, legeſque loquendi,
Sincerus vocis, cuperem, ac puriſſimus oris
Contigerit, fandi ne foris puer atque nefandi
Neſcius imbiberit male gratæ femina linguæ,
Quæ poſt infecto ex animo radicitus ulla
Non valeas, meliora docens, evellere cura.
Idcirco mihi ne quiſquam perſuadeat oro,
Ut placeant qui (dum cupiunt ſe numine lævo
Tollere humo, & penitus jactant ſe ignota docere)
Conventu in medio, ſeptique impube corona,
Inſolito penitus fandi de more magiſtri,

Obſcu-

Obſcuras gaudent in vulgum ſpargere voces
Irriſi, fædam illuviem, atque immania monſtra.
Non minus à rectæ mentis ratione feruntur
Decepti, quam qui, liquidi cum pocula fontes
Sufficiant, malunt grave-olentem haurire paludem.
Ne mihi, ne teneræ talis ſe admoverit auri,
Sed procul ô procul iſta ferat, natoſque Getarum
Imbuat, aut ſi qua eſt gens toto obtuſior orbe.

Jamque igitur mea cura puer penetralia vatum
Ingrediatur, & Aonia ſe proluat unda:
Jamque ſacrum teneris vatem veneretur ab annis,
Quem Muſæ Mincî herboſis aluere ſub antris,
Atque olim ſimilem poſcat ſibi numina verſum,
Admirans artem, admirans præclara reperta.
Nec mora, jam favet Aſcanio, tactuſque dolore
Impubes legit æquales, quos impius hauſit
Ante diem Mavors, & acerbo funere merſit.
Multa ſuper Lauſo, ſuper & Pallante peremptô
Multa rogat, lachrymas inter quoque ſingula fundit
Carmina, crudeli cum raptum morte parenti
Ah! miſeræ legit Euryalum, pulchroſque per artus
Purpureum, leto dum volvitur, ire cruorem.

Nec non interea Graios accedere vates
Audeat, & linguam teneris assuescat utramque
Auribus, exercens nunc hanc, nunc impiger illam.
Nulla mora est, nostro Æneæ jam conferet igneis
Æaciden flagrantem animis, Ithacumque vagantem,
Atque ambos sæpe impellet concurrere vates.
Nunc geminas, puer, huc aures, huc dirige mentem.
Nam, quia non paucos parte ex utraque poetas
Nostrosque, Graiosque tibi se offerre videbis,
Quos hic evites, quibus idem fidere tutus
Evaleas, dicam, ne quis te fallere possit.
Haud multus labor autores tibi prodere Graios,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus:
Hunc omnes alii observant, hinc pectore numen
Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.
Felices quos illa ætas, quos protulit illi
Proxima. Divino quanto quisque ortus Homero
Vicinus magis, est tanto præstantior omnis.
Degenerant adeo magis ac magis usque minores,
Obliti veterum præclara inventa parentum.
Jamque fere Inachiæ restincta est gloria linguæ
Omnis, & Argolici jussi concedere avitis

Sunt

Sunt pulſi reges ſoliis, civeſque coacti
Diverſa exilia, atque alienas quærere terras.
Huc illuc inopes errant: habet omnia victor
Barbarus, & verſis nunc luget Græcia fatis.
Noſtri autem, ut ſanctum Divas Helicona colentes
Cœperunt primum in Latium transferre, fluebant
Verſu incompoſito informes, artiſque Pelaſgæ
Indociles Muſa fundebant carmina agreſti,
Sylvicolas inter Faunos: tunc omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſylvai frondoſai.
Nondum acies, nondum arma rudi pater Ennius ore
Tentarat, qui mox Graio de vertice primus
Eſt auſus viridem in Latio ſperare coronam.
Tum rerum cauſas, naturæ arcana, latentes
Explorare auſi, cecinerunt carmine dulci,
Omnia Pierio ſpargentes nectare vates.
Atque ita deinde rudes paulatim fumere verſus
Cœperunt formam inſignem, penituſque Latini
Agreſtem exuerunt morem, liquidiſſima donec
Tempeſtas veluti cœli poſt nubila, & imbres,
Extulit os ſacrum, ſoboles certiſſima Phœbi,
Virgilius, qui mox, veterum ſqualore ſituque

De-

Deterſo, in melius mira omnia rettulit arte,
Vocem animumque Deo ſimilis: date lilia plenis,
Pierides, calathis, tantoque aſſurgite alumno!
Unus hic ingenio præſtanti gentis Achivæ
Divinos vates longe ſuperavit, & arte,
Aureus! immortale ſonans! ſtupet ipſa, pavetque,
Quamvis ingentem miretur Græcia Homerum.
Haud alio Latium tantum ſe tempore jactat:
Tunc linguæ Auſoniæ potuit quæ maxima virtus
Eſſe, fuit; cœloque ingens ſe gloria vexit
Italiæ: ſperare nefas ſit vatibus ultra.
Nulla mora, ex illo in pejus ruere omnia viſa,
Degenerare animi, atque retro res lapſa referri.
Hic namque ingenio confiſus poſthabet artem:
Ille furit ſtrepitu, tenditque æquare tubarum
Voce ſonos, verſuſque tonat ſine more per omnes:
Dant alii cantus vacuos, & inania verba
Incaſſum, ſola capti dulcedine vocis;
Pierides donec Romam, & Tyberina fluenta
Deſeruere, Italis expulſæ protinus oris.
Tanti cauſa mali Latio gens aſpera aperto
Sæpius irrumpens: ſunt juſſi vertere morem

Au-

Ausonidæ victi, victoris vocibus usi.
Cessit amor Musarum; artes subiere repente
Indignæ, atque opibus cuncti incubuere parandis.
Jampridem tamen Ausonios invisere rursus
Cœperunt, MEDICUM revocatæ munere, Musæ;
Tuscorum MEDICUM, quos tandem protulit ætas
Europæ in tantis solamen dulce ruinis.
Illi etiam, Graiæ miserati incommoda gentis,
Ne Danaum penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque magistros,
Argolicas artes quibus esset cura tueri,
Securos Musas jussere, atque otia amare.
Illi etiam captas late misere per urbes,
Qui doctas tabulas, veterum monumenta virorum,
Mercati pretio adveherent, quæ barbarus igni
Tradebat, Danaum regnis opibusque potitus.
Et tentamus adhuc sceptris imponere nostris
Externum, necdum civiles condimus enses!
Hæc ætas omnis, vatum hæc fortuna priorum.
Ergo ipsum ante alios animo venerare Maronem,
Atque unum sequere, utque potes, vestigia serva.
Qui si forte tibi non omnia sufficit unus,

Adde

Adde illi natos eodem quoque tempore vates.
Parce dehinc, puer, atque alios ne quære doceri;
Nec te discendi capiat tam dira cupido.
Tempus erit, tibi mox cum firma advenerit ætas,
Spectatum ut cunctos impune accedere detur.
Interea moniti vos hic audite, parentes.
Quærendus rector de millibus, eque legendus,
Sicubi Musarum studiis insignis, & arte,
Qui curas dulces, carique parentis amorem
Induat, atque velit blandum perferre laborem.
Illa suis niti nondum ausit viribus ætas,
Externæ sed opis, alienæque indiga curæ est.
Nam puerum, ni præsentis vis fida regentis
Adsit, & hunc dulcem studiorum infundat amorem,
Illecebræ sacris avertant mille Camœnis,
Deceptum falsa melioris imagine curæ.
Sic quoque ubi cultis plantas defodit in hortis
Agricola, & teneras telluri credidit almæ,
Fraxineos contos subito erigit, & sua cuique
Robora, ut innixæ ventos cœlique ruinam
Contemnant, surgantque leves impune per auras.
Ille autem, pueri cui credita cura colendi

Artibus egregiis, in primis optet amari,
Atque odium cari ſuper omnia vitet alumni:
Ne ſorte & ſacras ſimul oderit ille Camœnas
Imprudens, & adhuc tantæ dulcedinis expers;
Deficiantque animi ſtudiorum in limine primo.
Ponite crudeles iras & flagra, magiſtri,
Fœda miniſteria, atque minis abſiſtite acerbis.
Ne mihi ne, quæſo, puerum quis verbera cogat
Dura pati; neque enim lachrymas, aut dulcis alumni
Ferre queunt Muſæ gemitus, ægræque recedunt;
Illiuſque cadunt animi, nec jam amplius audet
Sponte ſua quicquam egregium, ingratumque laborem
Invitus trahit ægre, animoque ad verbera durat.
Vidi ego, qui ſemper levia ob commiſſa vocabat
Ad pœnam pueros, furiis inſurgere, & ira
Terribilem, inviſos veluti ſæviret in hoſtes;
Hinc ſemper gemitus, hinc verbera dira ſonabant.
Atque equidem memini, cum formidatus iniquis
Urgeret pœnis, ſolitoque immanior ille
Terreret turbam invalidam, (miſerabile viſu!)
Forte puer prima ſignans nondum ora juventa,
Inſignis facie ante alios, exegerat omnem

Cum

Cum ſociis ludens lucem, oblituſque timoris
Poſthabuit ludo juſſos ediſcere verſus.
Ecce! furens animis multa increpat ille, miniſque
Inſurgens ſævo pavitantem territat ore
Horrendum, & loris dextram crudelibus armat.
Quo ſubito terrore puer miſerabilis acri
Corripitur morbo; parvo is poſt tempore vitam
Creſcentem blanda cœli ſub luce reliquit.
Illum populifer Padus, illum Serius imis
Seriadeſque diu Nymphæ flevere ſub undis.
Tempore jam ex illo, vatem cum dura jubentem
Phœbigenam Alcides animo indignante peremit,
Vocali inviſam feriens teſtudine frontem,
Debuerat ſævos factum monuiſſe magiſtros.
Vos tamen, ô juſſi juvenes, parete regentum
Imperiis, ultroque animos ſummittite veſtros.
Siquem igitur clari formandi gloria vatis
Digna manet, verbis puerum compellat amicis,
Sæpe rogans, laudiſque animum pertentat amore.
Quandoquidem hunc imis poſtquam ſemel oſſibus ignem
Implicuit, labor inde levis; ſeſe excitat ardens
Sponte ſua, duroſque volens fert ille labores,

Et tacito vivens creſcit ſub pectore flamma.
Quid memorem? ſocium nam mos æqualibus annis
Jungere, cui paribus ſtudiis contendat alumnus,
Æmula cum virtus ſtimulis agitarit honeſtis:
Præſertim ſi victori ſua præmia rector
Pollicitus, celeremve canem, pictamve pharetram.
Continuo videas ſtudio geſtire legendi
Ardentem, ac ſera ſub nocte urgere laborem,
Dum timet alterius capiti ſpectare coronam.
Aſt ubi ſponte ſua ſtudia hæc aſſuerit amare,
Jam non laudis amor, non illum gloria tantum
Sollicitat, ſed mira operum dulcedine captus
Muſarum nequit avelli complexibus arctis.
Nonne vides, duri natos ubi ſæpe parentes
Dulcibus amorunt ſtudiis, & diſcere avaras
Juſſerunt artes, mentem ſiquando libido
Nota ſubit, ſolitaque animum dulcedine movit,
Ut læti rurſum irriguos accedere fontes
Ardeſcant ſtudiis, & nota reviſere Tempe?
Exultant animis cupidi, pugnantque parentum
Imperiis; nequit ardentes vis ulla morari.
Sic aſſuetus equus jam duris ora lupatis,

Forte

Forte procul notis ſi armenta aſpexit in arvis,
Huc veterum ferri cupit haud oblitus amorum,
Atque hic atque illic hæret, fræniſque repugnat,
Quove magis ſtimulis inſtas, hoc acrius ille
Perfurit; it tandem multo vix verbere victus
Cœptum iter: ipſa tamen reſpectans crebra moratur
Paſcua, & hinnitu late loca complet acuto.
Ah! quoties aliquis ſacros reminiſcitur æger
Fontes incaſſum, & lucos ſuſpirat amatos
Dulcibus ereptus Muſis puer, atria ut alta
Incoleret regum rebus præfectus agendis!
Tybure quam mallet, gelido aut ſub Tuſculo iniquam
Pauperiemque pati, & ventos perferre nivales!
Contra autem vanum multi effudere laborem,
Quos fruſtra excoluiſſe ſolum male pinguis arenæ
Pœnituit, ventiſque viam tentaſſe negatis.
Quod ne cui ſero contingat forte docenti,
Continuo poterit certis præſciſcere ſignis.
Namque puer nullis rectorum hortatibus ipſe
Sponte ſua exercetur, amatque, rogatque docentes
Primus, inardeſcitque ingenti laudis amore.
Provocat hinc ſocios pulchra ad certamina primus,

Exultatque animo victor; ſuperatus amaris
Mordetur curis, latebraſque, & ſola requirit
Infelix loca; ad æquales pudet ire, graveſque
Vultus ferre nequit cari rectoris inultus.
Nec lachrymis penitus caruerunt ora decoris.
Hic mihi ſe Divis, fatiſque volentibus affert,
Huic Muſæ indulgent omnes, hunc poſcit Apollo.
At nullam prorſus tibi ſpem fruſtra excitet ille,
Quem non ulla movet prædulcis gloria famæ,
Et præcepta negat duras dimittere in aures
Immemor auditi, cui turpis inertia mentem
Dejicit, atque hebetes torpent in corpore ſenſus.
Huic curam moneo ne quiſquam impendat inanem.
Nec placet ante annos vates puer: omnia juſto
Tempore proveniant: ah! ne mihi olentia poma
Miteſcant prius, autumnus bicoloribus uvis
Quam redeat, ſpumetque cadis vindemia plenis.
Ante diem nam lapſa cadent, ramoſque relinquent
Maternos; calcabit humi projecta viator.
Nec ludos puero abnuimus: ſubducere mentem
Interdum ſtudiis liceat: defeſſus amœna
Rura petat, ſæpe & mores obſervet agreſtum;

Et

Et venator agat de vertice Tyburtino
Veloces capreas, aut tendat retia cervis.
Non ille interea penitus patietur inanem
Ire diem; comitum cœtu ſe ſubtrahet ultro
Interdum, & ſola ſecum meditabitur umbra
Agreſtem Faunis laudem, Muſaſque ſub alta
Conſulet Albunea vitreas Anienis ad undas.
Nempe etiam alternis requieſcere fœtibus arva
Permittunt ſponte agricolæ, & ceſſare novales:
Interea vires tellus inarata reſumit;
Quique ſubit largis reſpondet frugibus annus.
Verum non eadem tamen omnibus eſſe memento
Ingenia. Inventus ſæpe eſt, cui carmina curæ,
Cui placeant Muſæ, cui non ſit læva voluntas;
Nititur ille tamen fruſtra, & contendit inani
Deluſus ſtudio, vetitiſque accingitur auſis:
Numina læva obſtant, precibuſque vocatus Apollo.
Orabit melius cauſas fors ille, animoque
Naturam, & cæcos rerum ſcrutabitur ortus.
Sæpe tamen cultuſque frequens, & cura docentum
Imperat ingeniis, naturaque flectitur arte.
Nec labor ille quidem rectoribus ultimus acres

In-

Incauto juveni ſtimulos avertere amoris,
Donec creſcentem doceat maturior ætas
Ferre jugum, atque faces, ſævique Cupidinis iras.
Sæpe etenim tectos immitis in oſſibus ignes
Verſat amor, molleſque eſt intus cura medullas,
Nec miſerum patitur vatum meminiſſe, nec undæ
Caſtaliæ: tantum ſuſpirat vulnere cœco.
Ante oculos ſimulachra volant nocteſque dieſque
Nuntia virginei vultus, quem perditus ardet,
Nec potis eſt alio fixam traducere mentem
Saucius: ignari fruſtra miſcere parentes
Pæonios ſuccos, medicaſque Machaonis artes
Conſulere: interea penitus calor ille relinquit
Pierius: torquent alii cor molle calores.
Cum vero jam pubeſcens mente altius hauſit
Muſarum dulcem ſanctique Heliconis amorem,
Et ſeſe Phœbo addixit, propriumque ſacravit,
Haud tantum exploret vatum monumenta, ſed idem
Conſulat, atque alios autores diſcat, ut acri
Nulla ſit ingenio quam non libaverit artem.
Proderit in primis linguam Ciceronis ad unguem
Fingere, & eloquii per campos ire patentes.

Ille

Ille, decus Latii, magnæ lux altera Romæ,
Ore effundit opes fandi certiſſimus autor:
Tantum omnes ſuperans præclaræ munere linguæ,
Quantum iit ante alias Romana potentia gentes.
Profuit & varios mores hominumque, locorumque
Exploraſſe ſitus; multas terraque marique
Aut vidiſſe ipſum urbes, aut narrantibus illas
Ex aliis noviſſe, & pictum in pariete mundum.
Quid referam qui, ut ſæva queant æquare canendo
Prælia, non horrent certamina Martis adire,
Per mediaſque acies vadunt, & bella laceſſunt?
At, quia dura vetant longum nos fata morari
In cunctis, revocatque anguſti terminus ævi,
Vos ſat erit, pueri, tantum omnes iſſe per artes,
Quarum ſumma ſequi ſaltem faſtigia oportet.
Nec refert rate qui varias legit æquoris oras,
Mercis ut in patriam referat ſe dives opimæ,
Si non cuncta oculis luſtraverit oppida paſſim,
Et circumfuſis longum terat otia terris:
Sat fuerit portus, extremaque littora tantum
Exploraſſe: ſecus toto vagus exulet ævo,
Et ſerus natos dulces, patriamque reviſet.

Nulla

Nulla dies tamen interea tibi, nulla abeat nox,
Quin aliquid vatum ſacrorum è fontibus almis
Hauſeris, ac dulcem labris admoveris amnem.
Sed tibi præſertim princeps tunc hæreat illa
Cura animo, noctem atque diem te te excitet una,
Omnem quam propter libuit perferre laborem.
Non hic te quibus aut pedibus ſpatiiſve monebo
Tendantur ducti verſus: labor iſte regentum
Poſtulat haud multum curæ, qui ſæpe morando
Ipſa minutatim metiri carmina ſectis
In partes membris, & tempora certa docebunt.
Continuo, edico, jam tunc animoſus alumnus
In numerum incipiat ſub leges cogere verba:
Jam tunc ſummiſſa meditetur carmina voce,
Sermonum memor, antiquis quos vatibus hauſit.
Tum votis ſibi centum aures, tum lumina centum
Exoptat dubius rerum, metuenſque pericli.
Dividit huc illuc animum, cunctamque pererrat
Naturam rerum, verſatque per omnia mentem;
Quis rebus dexter modus, aut quæ mollia fandi
Tempora: vertuntur ſpecies in pectore mille.
Nec mora, nec requies; dubio ſententia ſurgit

Multa animo, variatque ; omnes convertitur anceps
In facies, neſcitque etiam notiſſima, & hæret
Attonitus : nunc multa animum, nunc conſulit aures,
Secum mente agitans ſiqua olim audita recurſent
Sponte ſua ; & memorem mentem excitat, atque repoſtas
Theſauris depromit opes, lætuſque laboris
Ipſe ſui parto fruitur : multa ecce ! repente
Fors inopina aperit cunctanti, aliudque putanti.
Jamque hæc, jamque illa attentat, texitque retexitque,
Et variis indefeſſus conatibus inſtat.
Sæpe etenim occurrunt haud dictu mollia, ubi hæret
Cura diu, multoque exercita corda labore.
Nunc hos, nunc illos aditus veſtigat, & omnia
Attentans ſcopulo longum luctatur iniquo,
Dum ſe qua oſtendat facilis via : denique multa
Aut vi, aut cœli & fortunæ munere victor
Exultat, domitoque animis it ad æthera monſtro.
Aſt ubi nulla viam nec vis, nec dextra aperit fors,
Nec prodeſt vires feſſas renovare, nec aptum
Nunc hic, nunc illic captare ad carmina tempus,
Invitus cura abſiſtit, triſtiſque relinquit
Cœpta infecta, pedem referens : ceu forte viator

Si

Si quis tendat iter campis, cui se amnis abundans
Ecce! viæ in medio objiciat, spumisque fragosos
Post imbrem volvens montis de vertice fluctus,
Horrescit, ripaque moratus obambulat anceps:
Tum demum metuens retro redit æger, iterque
Aut alia tenet, aut, cedant dum flumina, differt.
Sed neque inexpertus rerum jam texere longas
Audeat Iliadas: paulatim assuescat, & ante
Incipiat graciles pastorum inflare cicutas.
Jam poterit culicis numeris fera dicere fata;
Aut quanta ediderit certamine fulmineus mus
Funera in argutas & amantes humida turmas;
Ordirive dolos, & retia tenuis aranei.
Consiliis etiam hic nostris, vobisque, docentes,
Est monitis opus: ingeniis nam parcere multa
Fas teneris, donec paulatim attollere sese
Incipiant animi, videantque in carmine labem
Per se ipsi, & tacito rubeant ultro ora pudore.
Nam maculas si forte omnes per carmina monstret
Quæsitor ferus, abjiciant spem protinus omnem,
Atque alias animo potius vertantur ad artes.
Nostrum igitur si forte adeat puer indole limen

Egre-

Egregia, ut conſulta petat, parere paratus,
Quique velit ſeſe arbitrio ſupponere noſtro,
Excipiam placidus: nec me juvenile pigebit
Ad cœlum vultu ſimulato extollere carmen
Laudibus, & ſtimulos acres ſub pectore figam.
Poſt tamen, ut multa ſpe mentem arrexerit ardens,
Si quis forte inter, veluti de vulnere claudus,
Tardus eat verſus, quem non videt inſcius ipſe
Deluſuſque ſonis teneras fallacibus aures,
Haud medicas afferre manus, ægroque mederi
Addubitem, & ſemper meliora oſtendere pergam.
Quod ſupereſt, etiam moneo, creberque monebo,
Ne quiſquam niſi curarum, liberque laborum
Inchoet egregium quicquam; verum procul urbis
Attonitæ fugiat ſtrepitus, & amœna ſilentis
Accedat loca ruris, ubi Dryadeſque puellæ,
Paneſque, Faunique, & montivagi Sylvani.
Hic læti haud magnis opibus, non divite cultu
Vitam agitant vates: procul eſt ſceleratus habendi
Hinc amor, inſanæ ſpes longe, atque impia vota,
Et nunquam diræ ſubeunt ea limina curæ:
Dulcis & alma quies, ac paucis nota voluptas.

At nimium trux ille, ferisque e cautibus ortus,
Qui sanctos, genus innocuum, populumque Deorum,
Aut armis audet vates, aut lædere dictis.
Vidi ego, qui ad summos Musarum munere honores
Evecti, mox ingratos contemnere Musas,
Nec vates saltem alloquio dignarier ipsos.
Parcite, mortales, sacros vexare poetas:
Ultores sperate Deos, sub numine quorum
Semper vita fuit vatum defensa piorum.
Illi omnes sibi fortunas posuere volentes
Sub pedibus, regumque & opes, & sceptra superba
Ingenti vincunt animo, ac mortalia rident.
Non illis usquam scelerum mens conscia cæcos
Horrescit cœli crepitus, ignemve coruscum,
Cum pater omnipotens præruptas fulmine turres
Ingeminans quatit, ac montes diverberat altos.
Securi terrorum hilares ad sidera mentes
Arrexere, Deumque agitant sine crimine vitam.
Dona Deum Musæ: vulgus procul este prophanum.
Has magni natas Jovis olim duxit ab astris
Callidus in terras insigni fraude Prometheus,
Cum liquidos etiam mortalibus attulit ignes.

Quippe rudes hominum mentes, & pectora dura
Ipse sagax animo miseratus, ubi astra per aurea
Ire datum, ac Superum lætis accumbere mensis,
Miratus sonitum circumvolventis Olympi
Ingentem, magnique argutos ætheris orbes,
Quos, sua quemque, cient vario discrimine Musæ;
Continuo utilius ratus est mortalibus addi
Post ignem nil posse, animumque ad callida movit
Furta vigil. Dii mox cœlestia dona volentes
Concessere, doli licet audentissimus ipse
Autor Caucaseo sævas det vertice pœnas.
Quo terrore, nisi multo post tempore, inertes
Non ausi dias homines accersere Musas;
Sed ventura prius pandebant carmine soli
Cœlicolæ, dubiisque dabant oracula rebus.
Ipse pater Divum Dodonæ carmina primus
Et Libycis cecinit lucis, mox Phocidis antro
Insonuit Themis alma, suos quoque pulcher Apollo
Responsis monuit Delphos, nec defuit olim
Antiquis Faunus caneret qui fata Latinis.
Tum Solymum prisci vates, tum sacra Sibyllæ
Nomina divinas cœli in penetralia mentes

Arripuere, Deumque animis hauſere furentes.
Nec mora, quæ primum Fauni, vateſque canebant
Carmina, mortales paſſim didicere per urbes,
Poſt epulas laudes heroum, & facta canentes.
Quid mirandum homini cœlo divinitus æque
Conceſſum! mortale genus tua numina ſentit,
Quiſquis es ille, Deus certe! qui pectora vatum
Incolis, afflataſque rapis ſuper æthera mentes.
Te ſine nil nobis lætum, nec amabile quicquam.
Ipſæ etiam volucres vario tua numina cantu
Teſtantur: pecudeſque feræ, mutæque natantes
Ad tua juſſa citæ properant; tua munera ſaxa
Dura movent, ſylvaſque trahunt hinc inde ſequentes.
Te quoque ſenſerunt olim impia Tartara, & umbræ
Pallentes ſtupuere: minas tibi janitor Orci
Oblitus, ſævas poſuere & Erinnyes iras.
Tu Jovis ambroſiis das nos accumbere menſis:
Tu nos Diis æquas ſuperis: tu blanda laborum
Sufficis & duræ præſens ſolatia vitæ.
Salve hominum dulcis requies, Divumque voluptas!
Ipſe tuæ egregios audax nunc laudis honores
Ingredior vates idem, Superumque ſacerdos,
Sacraque dona fero teneris comitatus alumnis.

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM, LIBER SECUNDUS.

BRITISH MUSEUM

ARGUMENTUM.

OPE *Musarum rursus implorata, materiæ apte disponendæ rationem Poeta in hoc libro se traditurum profitetur. Proponendi & Invocandi leges. Historica narratio vitanda. A rebus mediis,* Homeri *exemplo, exordiendum est, & ad primas inde revertendum. Lectorem diu, sed non ad finem usque, eventus actionis lateat. Digressiones non intempestive, nec ostentandæ eruditionis gratia, sed ubi necessariæ videntur, adhibendæ. Sententiæ interdum admiscendæ. Cavendum ne comparationibus a rebus vilioribus ductis oratio sordescat. Servanda Verisimilitudo. Repetitiones fugiendæ. Accurata brevitas commendatur. Opus exiguum dilatari potest Episodiis. Nitendum est ut res æquentur verbis, & quasi graphice depingantur. Vigor poeticus non semper idem; languescens poetarum lectione sæpe reficiatur; refectum ratio temperet. Ars naturæ imitatrix. Ad hujus imaginem Personarum mores exprimendi. Quo pacto moveantur affectus petendum est e Rhetorica. Modestiæ studendum & Decoro.* Homero *non cedit* Virgilius. *Ad* Italiæ *calamitates, aureumque seculum* Leonis X, *cujus mors defletur, Digressio.*

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM

Liber Secundus.

RERGITE Pierides natæ Jovis: en! mihi totum
Nunc fas venturis Helicona recludere ſeclis
Inſpirate animum: templa ipſe in veſtra ſacerdos
Sacra ferens, juvenes florentes mollibus annis
Duco audens durum per iter: vos, mollia, Divæ,
Si qua latent, vobis tantum divortia nota,
Præſentes monſtrate, novoſque oſtendite calles,
Quos teneam. Vos en! omnis, vos Itala pubes,
Quæ juga ſub noſtris nunc tendit ad ardua ſignis,
Supplicibus poſcit votis, facileſque precatur.
Nam mihi nunc reperire apta, atque reperta docendum

Dige-

Digerere, atque ſuo quæque ordine rite locare.
Durus uterque labor: ſed quos Deus aſpicit æquus,
Sæpe ſuis ſubito invenient accommoda votis.
Altera nempe arti tantum eſt obnoxia cura,
Unde ſolent laudem in primis optare poetæ.
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine ſemper
Prudentes leviter rerum faſtigia ſumma
Libant, & parcis attingunt omnia dictis,
Quæ canere ſtatuere: ſimul cœleſtia Divum
Auxilia implorant, propriis nil viribus auſi.
Quos ores autem non magni denique refert,
Dum memor auſpiciis cujuſquam cuncta Deorum
Aggrediere: Jovis neque enim niſi rite vocato
Numine fas quicquam ordiri mortalibus altum.
Nec ſat opem implorare ſemel, Muſaſque ciere,
Sed quoties, veluti ſcopuli, duriſſima dictu
Objicient ſeſe tibi, non ſuperanda labore
Mortali, Divos toties orare licebit.
Incipiens odium fugito, facileſque legentum
Nil tumidus demulce animos, nec grandia jam tum
Convenit aut nimium cultum oſtentantia fari;
Omnia ſed nudis prope erit fas promere verbis:

Ne,

Ne, ſi magna ſones, cum nondum ad prælia ventum,
Deficias medio irriſus certamine, cum res
Poſtulat ingentes animos, vireſque valentes.
Principiis potius ſemper majora ſequantur:
Protinus illectas ſuccende cupidine mentes,
Et ſtudium lectorum animis innecte legendi.
Jam vero cum rem propones, nomine nunquam
Prodere conveniet manifeſto: ſemper opertis
Indiciis, longe & verborum ambage petita
Significant, umbraque obducunt: inde tamen, ceu
Subluſtri e nebula, rerum tralucet imago
Clarius, & certis datur omnia cernere ſignis.
Hinc ſi dura mihi paſſus dicendus Ulyſſes,
Non illum vero memorabo nomine, ſed qui
Et mores hominum multorum vidit & urbes
Naufragus, everſæ poſt ſæva incendia Trojæ.
Addam alia, anguſtis complectens omnia dictis.
Ergo age quæ vates ſervandi cura fatiget
Ordinis intentos operi, cum carmine aperto
Rem tempus narrare, loco ut diſpoſta decenti
Omnia ſint opere in toto, nec meta laborum
Uſquam diffideat ingreſſibus ultima primis.

Prin-

Principio invigilant non expectata legenti
Promere, ſuſpenſoſque animos novitate tenere,
Atque per ambages ſeriem deducere rerum:
Nec, quacunque viam ſuadet res geſta, ſequuntur.
Plerumque a mediis, arrepto tempore, fari
Incipiunt, ubi facta vident jam carmine digna.
Inde minutatim geſtarum ad limina rerum
Tendentes prima repetunt ab origine factum.
Hoc faciunt, operum primo ne in limine lector
Hæreat, ignaruſque viæ, incertuſque laborum.
Namque ubi eum metam jam tum ſtatuere ſub ipſam,
Lætior ingreditur ſpe mentem arrectus inani,
Dum putat exigui finem propè adeſſe laboris.
Sed portus, quos ante oculos habet uſque propinquos
Approperans, jam jamque tenet ſimiliſque tenenti eſt:
Longa procul longo via dividit invia tractu:
Flectendi retro curſus, via plurima eunti
Reſtat adhuc, multumque illi maris æquor arandum.
Haud ſapiens quiſquam, annales ceu congerat, Ilii
Inchoet excidium veteri paſtoris ab uſque
Judicio, memorans ex ordine ſingula, quicquid
Ad Trojam Argolicis ceſſatum eſt Hectore duro.

Con-

Conveniet potius prope finem prælia tanta
Ordiri, atque graves iras de virgine rapta
Aversi Æacidæ præmittere: tum fera bella
Consurgunt, tum pleni amnes Danaumque, Phrygumque,
Xanthusque, Simoisque, & inundant sanguine fossæ.
Haud tamen interea quæ præcessere silendum,
Aulide jurantes Danaos, vectasque per æquor
Mille rates, raptusque Helenes, & conjugis iras,
Quæque novem Troja est annos perpessa priores.
Atque etiam in patriam siquis deducere adortus
Errantem Laertiaden post Pergama capta,
Non illum Idæo solventem e littore classem
Cum sociis primum memoret, Ciconesque subactos:
Sed jam tum Ogygiam delatum sistat ad alta
Virginis, amissis sociis, Atlantidos antra.
Exin post varios Phæacum in regna labores
Inferat: hic positis demum ipse miserrima mensis,
Erroresque suos narret, casusque suorum.
Ante tamen si gesta canunt, ab origine causas
Expediunt, quis dehinc status, & quæ tempora rerum.
Primus at ille labor versu tenuisse legentem
Suspensum, incertumque diu, qui denique rerum

Even-

Eventus maneant: quo tandem durus Achilles
Munere placatus regi rursum induat arma
In Teucros: cujusve Dei Laertius heros
Auxilio, Polypheme, tuis evadat ab antris:
Lectores cupidi expectant, durantque volentes,
Nec perferre negant supereſt quodcunque laborum,
Inde licet feſſos ſomnus gravis avocet artus,
Aut epulis placanda fames, Cereriſque libido:
Hoc ſtudium, hanc operam ſero dimittimus ægri.
Nonne vides ut ſæpe aliquis nimis arte ſuperbit
Improbus, & captis animis illudere gaudet,
Et nunc huc, deinde huc mentes deducit hiantes,
Suſpenditque diu miſeros, torquetque legentes?
Ille quidem ſi te magnum certamen Atridæ
Et Paridis, multo promiſſum carmine nuper,
Expectare avidum ſævaque cupidine captum
Senſerit, uſque moras trahet ultro, & differet arma,
Dum celſa Priamo patribuſque e turre Lacæna,
Nomine quemque ſuo, reges oſtendit Achivos.
Ipſa procos etiam ut juſſit certare ſagittis
Penelope, optatas promittens callida tedas
Victori, per quanta moræ diſpendia mentes

Suſ-

Suſpenſas trahet, ante viri quam proferet arcum
Theſauris clauſum antiquis, penituſque repoſtum!
Haud tamen omnino incertum metam uſque ſub ipſam
Exactorum operum lectorem in nube relinquunt.
Sed rerum eventus nonnullis ſæpe canendo
Indiciis porro oſtendunt in luce maligna,
Subluſtrique aliquid dant cernere noctis in umbra.
Hinc pater Æneam, multique inſtantia vates
Fata docent Latio bella, horrida bella manere,
Atque alium partum Trojanis rebus Achillem.
Spem tamen incendunt animo, firmantque labantem,
Spondentes meliora, & res in fine quietas.
Ipſe quoque agnovit per ſe, cum in limine belli
Navibus egreſſus turmas invaſit agreſtes,
Atque (omen pugnæ) proſtravit marte Latinos,
Occiſo, ante alios qui ſeſe objecerat, hoſte.
Fata Menœtiades etiam prædixerat olim
Victori moriens majori inſtare ſub hoſte,
Quamvis haud fuerit res credita. Tu quoque, Turne,
Prævidiſſe tuos poteras, heu! perdite, caſus
Longe ante exitium, cum crebro obſcœna volucris
Per clypeum, perque ora volans ſtridentibus alis

Omine turbavit mentem, admonuitque futuri.
Hinc tibi tempus erit, magno cum optaveris emptum
Intactum Pallanta, & cum ſpolia aurea baltei
Oderis, atque tibi haud ſtabit victoria parvo.
Nam juvat hæc ipſos inter præſciſſe legentes,
Quamvis ſint & adhuc confuſa, & nubila porro.
Haud aliter longinqua petit qui forte viator
Mœnia, ſi poſitas altis in collibus arces
Nunc etiam dubias oculis videt, incipit ultro
Lætior ire viam, placidumque urgere laborem,
Quam cum nuſquam ullæ cernuntur, quas adit, arces,
Obſcurum ſed iter tendit convallibus imis.
Tuque ideo, niſi mente prius, niſi pectore toto
Crebra agites quodcunque canis, tecumque premendo
Totum opus ædifices, iterumque iterumque retractes,
Laudatum alterius fruſtra mirabere carmen.
Nec te ſors inopina regat, caſuſque labantem:
Omnia conſiliis proviſa, animoque volenti
Certus age, ac ſemper nutu rationis eant res.
Quandoquidem ſæpe incerti huc, illucque vagamur,
Inque alia ex aliis inviti illabimur orſa,
Dum multa ac varians animis ſententia ſurgit.

Sæpe vides primis ut quidam longius oris
Digrediuntur, & obliti quasi cœpta priora
Longe aliis hærent nulla sermonibus arte,
Et longos peragrant tractus aliena canentes.
Ac velut in patriam peregrina si quis ab ora
Ire cupit, post exilium, durosque labores,
Ille tamen recto non qua via tramite ducit
Carpit iter, sed nunc vagus hac, nunc errat & illac,
Undique dum studio fontes invisit inani,
Fonteſque, fluvioſque, & amœnos frigore lucos.
Nam quid opus gemmis armatos pingere currus,
Multa superque rotas, super axes multa morari
Tunc, cum bella manus poscunt, atque arma fremit Mars?
Nec siquem indecoremque animi, pugnasque perosum
Egregios inter memoras heroas in armis
Castra sequi, cupidi expectant audire legentes
Qua facie, quibus ille humeris, qualive capillo
Incedat, captusne oculo, an pes claudicet alter,
Aut longo vertex ductu consurgat acutus,
Ordine cuncta, aliud quasi nil tibi restet agendum.
Aptior Ausonius Drances, cui frigida bello
Dextra quidem, sed consiliis non futilis autor,

Dives opum, pollens lingua, & popularibus auris.
Multa tamen Graiæ fert indulgentia linguæ,
Quæ noſtros minus addeceant, graviora ſequentes.
Quid tibi nonnullas artes, ſtudiumque minorum
Indignum referam? ſunt qui, ut ſe plurima noſſe
Oſtentent, pateatque ſuarum opulentia rerum,
Quicquid opum congeſſerunt, ſine more, ſine arte
Irriſi effundunt, & verſibus omnia acervant:
Præcipue ſiquid ſummotum, ſiquid opertum,
Atque parum vulgi notum auribus, aut radiantis
De cœli arcana ratione, Deumve remota
Natura, aut animæ obſcuro impenetrabilis ortu.
Sæpe etiam accumulant antiqua exempla virorum,
Carminis ingratum genus! hinc atque inde petita,
Quamvis ſæpe illis tempuſque locuſque repugnet.
Ne, pueri, ne talem animis inducite morem,
Nec vos decipiat laudis tam dira cupido.
Haud ſum animi dubius magnos memorare poetas
Interdum Soliſque vias, Lunæque labores,
Aſtrorumque ortus, qua vi tumida æquora ſurgant,
Unde tremor terris; quamvis illi orſa ſequantur
Longe alia, aut duri cantantes prælia Martis,

Aut

Aut terræ mores varios, cultuſque docentes.
At prius invenere locum, dein, tempore capto,
Talia ſubjiciunt parci, nec ſponte videntur
Fari ea: rem credas hoc ipſam poſcere, ita æſtum
Diſſimulant, adituſque petunt ſuper omnia molles.
Cur pater Anchiſes natum opportuna rogantem
Non doceat, rurſuſne animæ ſemel æthere caſſæ
Ad cœlum redeant, blandique ad luminis auras?
Igneus anne ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant?
Quandoquidem, ut varium ſit opus (namque inde voluptas
Grata venit) rebus non uſque hærebis in iiſdem.
Verum ubi vis animis varius ſuccurrere feſſis,
Ingrederiſque novas facies, rerumque figuras,
Paulatim capto primis delabere cœptis
Tempore, nec poſitis inſit violentia rebus:
Omnia ſponte ſua veniant, lateatque vagandi
Dulcis amor, cunctamque potens labor occulat artem.
Sic olim Æneæ venturi haud inſcius ævi
Res Italum in clypeo, Romanorumque triumphos
Fecerat Ignipotens, pugnataque in ordine bella,
Stirpis ab Aſcanio quondam genus omne futurum.

Tum ſi quis Latio cretus de ſanguine vates
Proſequitur varias oras, moreſque locorum,
Medoſque, Æthiopaſque, & dites arboris Indos;
Immemor ille nimis patriæ, oblituſve ſuorum,
Si non Italiæ laudes æquaverit aſtris;
Cui neque Medorum ſylvæ, nieque Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia certet arenis.

Quare etiam, egregii vates, ego carmina veſtra
Haud equidem arguerim, qui pectora feſſa legentum
Interdum, atque aures recreatis carmine dulci.
Non ego, poſt Celei crates, poſt tribula dicta,
Raſtraque, plauſtraque, & inflexo cum vomere aratra,
Addubitem flere extincti miſerabile funus
Romani ducis: aut ruris laudare quietem,
Poſt vites dictas Bacchi, & ſylveſtria dona.
Vidi etiam, qui jam per fecto munere longam
Subjecere moram, extremo ſub fine vagantes
Exactorum operum, vacua dum carmina muſa
In longum traherent, cujus dulcedine mira
Feſſi animi cuperent iterumque iterumque redire.
Me nulla idcirco quiret vis ſiſtere quin, poſt
Naturas & apum dictas & liquida mella,

Triſtis

Triſtis Ariſtæi queſtus, monituſque parentis
Proſequerer dulci ſermone, & Protea vinctum.
Addam Threicii carmen miſerabile vatis,
Qualis populea queritur Philomela ſub umbra,
Ut Rhodope, ut Pangæa fleant, Rheſi ut domus alta,
Atque Getæ, atque Hebrus, & Actias Orithyia.
Non aliam ob cauſam reges qui in prælia euntes
Dinumerant, populoſque, moram traxere canentes
Aut Ligurum regi, ob caſum Phaethontis amati
Dum gemit, & mœſtum muſa ſolatur amorem,
In ſylvis cano natas in corpore plumas:
Aut rurſum Hippolytum ſuperas veniſſe ſub auras
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Nec vero interea quæ cuique inſignia, quæ arma
Prætereunt; pingunt clypeos, atque Hercule pulchro
Pulcher Aventinus ſatus olim inſigne paternum
Centum angues, cinctamq; gerit ſerpentibus Hydram.
Sæpe etiam loca amœna canunt, & frigida Tempe.
Nunc variis pingunt cum floribus auricomum ver;
Nunc virides liquidis inducunt fontibus umbras,
Crebraque fluviorum in ripis ſpatiantur opacis,
Aut Veneti Eridani, aut Ætoli Acheloi.

Ad-

Addunt & Panas, Faunos, Dryadaſque puellas,
Et centum æquoreas Nereo genitore ſorores.
Sæpe tamen memorandum inter ludicra memento
Permiſcere aliquid breviter, mortalia corda
Quod moveat, tangens humanæ commoda vitæ,
Quodque olim jubeant natos meminiſſe parentes.
At non exiguis etiam te inſiſtere rebus
Abnuerim, ſi magna voles componere parvis,
Aut apibus Tyrios, aut Troja ex urbe profectos
Formicis, Libycum properant dum linquere littus.
Sed non Auſonii recte fœdiſſima muſca
Militis æquarit numerum, cum plurima mulctram
Pervolitat; neque enim in Latio magno ore ſonantem
Arma, duceſque decet tam viles decidere in res.
Nec dictis erit ullus honos, ſi cum actus ab urbe
Daunius hoſtili Teucris urgentibus heros
Vix pugna abſiſtit, ſimilis dicetur aſello,
Quem pueri læto paſcentem pinguia in agro
Ordea ſtipitibus duris detrudere tendunt
Inſtantes, quatiuntque ſudes per terga, per armos:
Ille autem campo vix cedere, & inter eundum
Sæpe hic, atque illic avidis inſiſtere malis.

Omnia

Omnia conveniunt, rerumque ſimillima imago eſt:
Credo equidem; ſed turpe pecus: nec Turnus aſellum,
Turnus avis ataviſque potens, dignabitur heros.
Aptius hanc ſpeciem referet leo, quem neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, neque ſufficit unus
Tendere tot contra, teliſque obſtare ſequentum.
Hoc quoque non ſtudiis nobis levioribus inſtat
Curandum, ut, quando non ſemper vera profamur
Fingentes, ſaltem ſint illa ſimillima veris.
Vidi aliquos, qui, cum Glauco medio æquore belli
Tydides ferus occurrit, vix credere poſſunt
Tot traxiſſe moras longis ſermonibus uſos
Inter ſeſe ambos, dum fervent omnia cæde.
Alter enim duri narrat fera fata Lycurgi,
Crimine damnati falſo alter Bellerophontis
Facta refert, magna domitam virtute Chimæram,
Et victos pariter Solymos, & Amazonas armis.
Nam quæ multa canunt ficta, & non credita vates,
Dulcia quo vacuas teneant mendacia mentes,
Illis nulla fides, quam nec ſibi denique aperti
Expoſcunt, nec diſſimulant, licet omnia obumbrent
Relligione Deum, quæ non credenda profantur.

Idcir-

Idcirco Solis perhibent armenta loquuta
Mortua, & in verubus Vulcano toſta colurnis,
Ut minus acris equos itidem miremur Achillis,
Verbaque veliferas roſtris fudiſſe carinas;
Omnia quæ porta veniunt inſomnia eburna.
Diſce etiam, pulchri tibi ſi cura ordinis ulla eſt,
Res tantum ſemel effari: repetita bis aures
Ferre negant; ſubeunt feſſas faſtidia mentes:
Quanquam etiam hic noſtris cernes differre Pelaſgos.
Nam tibi non referent ſemel illi ſomnia Atridæ:
Nec ſat erit, ſi rettulerint quid fortis Achilles
Mente dolens Danaum ſeſe ſubduxerit armis,
Ipſe iterum Æacides niſi ſolo in littore ponti
Flens eadem æquoreæ narraverit omnia matri.
Quin etiam reges, cum dant mandata ferenda,
Cuncta canunt prius ipſi, eadem mox carmine eodem
Miſſi oratores repetunt, nihil ordine verſo.
Non ſic Auſonius Venulus, legatus ab Arpis
Cum redit, Ætoli referens reſponſa tyranni.
Altum aliis aſſurgat opus: tu nocte, dieque
Exiguum meditator, ubi ſint omnia culta,
Et viſenda novis iterumque iterumque figuris.

Quod

Quod ſi longarum cordi magis ampla viarum
Sunt ſpatia, anguſtis cum res tibi finibus arcta,
In longum trahito arte: viæ tibi mille trahendi,
Mille modi: nam ficta potes multa addere veris,
Et petere hinc illinc variarum ſemina rerum.
Nonne vides, ut noſtra Deos in prælia ducant,
Hos Teucris, alios Danais ſocia arma ferentes,
Certanteſque inter ſe odiis, donec pater ipſe
Concilium vocet, atque ingentes molliat iras?
Cum ſecura tamen penitus natura Deorum
Degat, & aſpectu noſtro ſummota quieſcat.
Addunt infernaſque domos, regna invia vivis,
Tartareoſque lacus, Ditemque, & Erinnyas atras.
Tum volucrum captant cantus, atque omina pennæ:
Sæpe etiam hoſpitibus convivia læta receptis,
Regaleſque canunt epulas, ubi multa repoſtis
Narrantur dapibus vario ſermone viciſſim.
Nunc ludos celebrant magnorum ad buſta virorum:
Annua nunc patriis peragunt Diis ſacra periclo
Servati quondam, laudeſque ad ſidera tollunt
Aut Phœbi, monſtro ingenti Pythone perempto,
Aut magni Alcidæ, Cacum ut videre jacentem:

Rege

Rege ſub Euryſteo tulerit quos ille labores
Alterni repetunt cantu: ſuper omnia Caci
Speluncam adjiciunt, ſpirantemque ignibus ipſum.
An memorem, quandoque omnes intendere nervos
Cum libuit, verbiſque ipſam rem æquare canendo?
Seu dicenda feri tempeſtas horrida ponti,
Ventorum & rabies, fractæque ad ſaxa carinæ
Aut Siculo anguſto, aut impacato Euxino:
Sive coorta repente lues, cum multa ferarum
Corpora, multa hominum leto data: ſive Sicana
Dicendum quantis terra tonet Ætna ruinis,
Prorumpens atram cœli uſque ad ſidera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla.
Vidiſti cum bella canunt horrentia, & arma,
Arma fremunt, miſcentque equitum peditumque ruinas;
Ante oculos Martis ſeſe offert triſtis imago,
Non tantum ut dici videantur, ſed fieri res,
Unde ipſis nomen Graii fecere poetis:
Armorum fragor audiri, gemituſque cadentum,
Cædentumque ictus, & inania vota precantum.
Quis quoque, cum captas evolvunt hoſtibus urbes,
Temperet á lachrymis? tectorum ad culmina ſævas

Ire

Ire faces, paſſimque domos involvere flammas
Cernere erit, trepidoſque ſenes, pueroſque parentes
Amplexos, flenteſque ipſas ad ſidera matres
Tollentes clamorem, hoſtes interque ſuoſque:
Abſtractaſque nurus adytis, ariſque Deorum,
Et crinem laniare, & pectora tundere palmis:
Hos fugere, aſt illos ingentem abducere prædam,
Perque domos perque alta ruunt delubra Deorum,
Atque huc atque illuc tota diſcurritur urbe.

Quid cum animis ſacer eſt furor additus, atque potens vis?
Nam variant ſpecies animorum, & pectora noſtra
Nunc hos, nunc illos, multo diſcrimine, motus
Concipiunt; ſeu quod cœli mutatur in horas
Tempeſtas, hominumque ſimul quoque pectora mutant;
Seu quia non iidem reſpondent ſæpe labore
Senſus effœti, atque animus cum corpore languet;
Seu quia curarum interdum, vacuique doloris;
Interdum triſtes cæco intus tundimur æſtu.
Dii potius noſtris ardorem hunc mentibus addunt,
Dii potius: felixque ideo qui tempora quivit,
Adventumque Dei, & ſacrum expectare calorem,
Pauliſperque operi poſito ſubducere mentem,

Mutati donec redeat clementia cœli.
Sponte sua veniet justum (ne accersite) tempus.
Interdum & sylvis frondes, & fontibus humor
Desunt, nec vitiis semper cava flumina ripis
Plena fluunt, nec semper agros ver pingit apricos.
Sors eadem incertis contingit sæpe poetis.
Interdum exhaustæ languent ad carmina vires,
Absumptusque vigor, studiorumq; immemor est mens;
Torpescunt sensus; circum præcordia sanguis
Stat gelidus; credas penitus migrasse Camœnas,
Notaque nunquam ipsum rediturum in pectora Phœbum:
Nil adeo Musæ, nil subvenit autor Apollo.
Ah! quoties aliquis frustra consueta retentat
Munera, nec cernit cœlum se tendere contra,
Adversosque Deos, atque implacabile numen!
Quidam autem inventus, qui sæpe reduceret auras
Optatas veterum cantando carmina vatum,
Paulatimque animo blandum invitaret amorem,
Donec collectæ vires, animique refecti,
Et rediit vigor ille, velut post nubila & imbres
Sol micat æthereus: unde hæc tam clara repente
Tempestas? Deus ecce! Deus jam corda fatigat,

Al-

Altius insinuat venis, penitusque per artus
Diditur, atque faces sævas sub pectore versat.
Nec se jam capit acer agens calor, igneaque intus
Vis sævit, totoque agitat se corpore numen.
Ille autem exultans jactat jam non sua verba,
Obliusque hominem mirum sonat: haud potis ignem
Excutere, invitum miratur se ire, rapique
Præcipitem, te, Phœbe, vocans, te, Phœbe, prementem
Vociferans, plenusque Deo, stimulisque subactus
Haud placidis; non ille dapum, non ille quietis
Aut somni memor, hanc potis est deponere curam.
Sæpe etiam in somnis memores Phœbeia versant
Munera, & inventi quidam qui sæpe sopore
In medio Musis cecinere & Apolline digna.
Tantus amor famæ, præsentis tanta Dei vis!
Ne tamen ah! nimium, puer, ô ne fide calori:
Non te fortuna semper permittimus uti,
Præsentique aura, sævum dum pectore numen
Insidet: at potius ratioque, & cura resistat.
Fræno siste furentem animum, & sub signa vocato,
Et premere, & laxas scito dare cautus habenas.
Atque ideo semper tunc expectare jubemus

Dum fuerint placati animi, compreſſus & omnis
Impetus: hic recolens ſedato corde reviſe
Omnia, quæ cæcus menti ſubjecerit ardor.
Præterea haud lateat te nil conarier artem,
Naturam niſi ut aſſimulet, propiuſque ſequatur.
Hanc unam vates ſibi propoſuere magiſtram:
Quicquid agunt, hujus ſemper veſtigia ſervant.
Hinc varios moreſque hominum, moreſque animantum,
Aut ſtudia imparibus diverſa ætatibus apta
Effingunt facie verborum, & imagine reddunt
Quæ tardoſque ſenes deceant, juveneſque virentes,
Fœmineumque genus, quantum quoque rura colenti,
Aut famulo diſtet regum alto é ſanguine cretus.
Nam mihi non placeat, teneros ſi ſit gravis annos
Telemachus ſupra, ſenior ſi Neſtor inani
Gaudeat & ludo, & canibus, pictiſve pharetris.
Et quoniam in noſtro multi perſæpe loquuntur
Carmine, verba illis pro conditione virorum
Aut rerum damus, & proprii tribuuntur honores,
Cuique ſuus, ſeu mas, ſeu fœmina, ſive Deus ſit.
Semper enim ſummus Divum pater, atque hominum rex
Ipſe in concilio fatur, ſi forte coorta

Sedi-

Seditio, paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert, Teucrum indignos miſerata labores.
Ingreditur furiis, atque alta ſilentia rumpit,
Acta furore gravi, Juno, ac fœta uſque querelis.
Cumque etiam juveni gliſcat violentia major,
Ardens cui virtus, animuſque in pectore præſens,
Nulla mora in Turno, nec dicta animoſa retractat:
Stat conferre manum, & certamine provocat hoſtem,
Deſertorem Aſiæ: verum quantum ille feroci
Virtute exuperat, tanto eſt impenſius æquum
Et pietate gravem, & ſedato corde Latinum
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.
Multum etiam intererit, Didóne irata loquatur,
An pacato animo; Libycas ſi linquere terras
Trojanus paret, & deſertum fallere amorem,
Sæviet, ac tota paſſim bacchabitur urbe,
Mentis inops, immanis, atrox verba aſpera rumpet
Confuſaſque dabit voces, incertaque, & anceps
Quæ quibus anteferat; quantum ah! diſtabit ab illa
Didone, excepit Teucros quæ nuper egentes,
Solvere corde metum, atque jubens ſecludere curas,
Invitanſque ſuis vellent conſidere regnis!

Nec te oratores pigeat, artiſque magiſtros
Conſuluiſſe, Sinon Phrygios quo fallere poſſit
Arte, dolis quocunque animos impellere doctus;
Quove tenere queat Graios fandi autor Ulyſſes
Stante domum Troja tandem diſcedere certos.
Quid tibi nunc dulcem præ cunctis Neſtora dicam,
Qui toties inter primores Argivorum
Ingentes potuit verbis componere lites,
Et mulcere animos, & mollia fingere corda?
Artibus his certe Cytherea inſtructa, doliſque,
Arma rogat nato genitrix, & adultera læſum
Vulcanum alloquitur, dictiſque aſpirat amorem.
Nam cauſas petit ex alto indeprenſa, virique
Circuit occulta verborum indagine mentem.
Diſcitur hinc etenim ſenſus menteſque legentum
Flectere, diverſoſque animis motus dare, ut illis
Imperet arte potens, dictu mirabile, vates.
Nam ſemper, ſeu læta canat, ſeu triſtia mœrens,
Affectas implet tacita dulcedine mentes.
Quem non Threicii quondam ſors aſpera vatis
Molliat, amiſſam dum ſolo in littore ſecum,
Eurydice, ſolans ægrum teſtudine amorem,

Te,

Te, veniente die, te, decedente, vocaret?
Quid? puer Euryalus cum pulchros volvitur artus,
Ah dolor! inque humeros lapſa cervice recumbens
Langueſcit moriens, ceu flos ſucciſus aratro:
Ardet adire animus lectori, & currere in ipſum
Volſcentem, puerique manum ſupponere mento
Labenti, ac largum fruſtra prohibere cruorem
Purpureo niveum ſignantem flumine pectus.
Poſtremo, tibi ſiqua inſtant dicenda, ruborem
Quæ tenerum incuterent Muſis adaperta, choriſque
Virgineis, molli vel præterlabere tactu
Diſſimulans, vel verte alio, & rem ſuffice fictam.
Si pater omnipotens tonitru cœlum omne ciebit,
Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem
Deveniant: pudor ulterius nihil addere curet.
Nam ſat erit, Tellus quod prima, & conſcius Æther
Connubii dent ſignum, ululentque in vertice Nymphæ.
Neve aliis, impar nimium, ne Troilus armis
Ah! puer infelix facito concurrat Achilli,
Quam quibus in Libyco conſpexit littore pictum.
Illum Anchiſiades heros, dum victus anhelis
Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani:

Nec

Nec pueri veros congreſſus dicere cures.
Quid deceat, quid uon, tibi noſtri oſtendere poſſunt:
Inventa ex aliis diſce, & te plurima Achivos
Conſulere hortamur veteres, Argivaque regna
Explorare oculis, & opimam avertere gazam
In Latium, atque domum lætum ſpolia ampla referre.
Haud minor eſt adeo virtus, ſi te audit Apollo,
Inventa Argivum in patriam convertere vocem,
Quam ſi tute aliquid intactum inveneris ante.
Aſpice ut inſignis peregrino incedat in auro
Fatidicæ Mantus, & Minci filius amnis!
Fulgeat ut magni exuvias indutus Homeri!
Nec pudet. Egregias artes oſtenderit, eſto,
Græcia, tradiderit Latio præclara reperta,
Dum poſt in melius aliunde accepta Latini
Omnia rettulerint, dum longe maxima Roma
Ut belli ſtudiis, ita doctis artibus omnes,
Quot Sol cunque videt terrarum, anteiverit urbes.
Dii Romæ indigetes, Trojæ tuque autor, Apollo,
Unde genus noſtrum cœli ſe tollit ad aſtra,
Hanc ſaltem auferri laudem prohibete Latinis:
Artibus emineat ſemper, ſtudiiſque Minervæ

Italia,

Italia, & gentes doceat pulcherrima Roma;
Quandoquidem armorum penitus fortuna receſſit,
Tanta Italos inter crevit diſcordia reges.
Ipſi nos inter ſævos diſtringimus enſes,
Nec patriam pudet externis aperire tyrannis.
Spes tamen Italiæ proſtratæ affulſerat ingens
Nuper, & egregiis animos erexerat auſis:
Heu fruſtra! invidit laudi fors læva Latinæ,
Necdum fata malis Italum exaturata quierunt.
Jam gentes longe poſitæ trepidare, duceſque
Externi: jam dives Arabs, jam Nilus, & Indus
Audierant longe Tuſci decora alta LEONIS,
Audierant MEDICUMque genus, ſtirpemque Deorum:
Jam tum ille egregias curas accinxerat ardens
Pro patriæ decore, pro libertate ſepulta
Antiquæ Auſoniæ, germano fretus IULO,
Quicum partitus curarum ingentia ſemper
Pondera commiſſas rerum tractabat habenas
Idem regnatorque hominum, Divumque ſacerdos.
Jamque illum Europæ reges, genſque omnis in unum
Converſique oculos, converſique ora tenebant:
Jamque duces animis illum concordibus omnes

Velle

Velle ſequi trepidos in Turcas arma parantem.
Illum quadrijugo invectum per mœnia curru,
Roma, triumphato vidiſſes protinus orbe:
Illum, Tybri pater, lætanti ſpumeus alveo
Exciperes, Tuſcus Tuſcum, vehereſque per undas
Miratas habituſque novos, hominumque figuras.
Iſſent poſt currus capti longo ordine reges:
Oblituſque minas minor iret barbarus hoſtis,
Qui victis Solymis nunc, atque oriente ſubacto
Exultat fidens, orbiſque affectat habenas
Efferus, atque Italæ jam jam, ſcelus! imminet oræ.
Viſendi ſtudio paſſim Romana juventus
Per fora, perque vias, feſta diſcurreret urbe.
Ipſe ſuos ſolio fulgens pater aureus alto
Aſpiceret cives longo poſt tempore viſos;
Barbaricumque aurum, prædæque juberet acervos
Sacratis adytis, penituſque alta arce reponi.
Verum heu! Dii, veſtrum crimen! ſpes tanta repente
Italiæ abſumpta, ac penitus fiducia ceſſit!
Egregius moriens heros ſecum omnia vertit!

24 OC 62

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM,

LIBER TERTIUS.

BRITISH MUSEUM

ARGUMENTUM.

STYLUS *poeticus proponitur explicandus. Is debet esse perspicuus, & quam maxime variatus. Metaphorarum usus, & causa. Poetis major licentia quam scriptoribus aliis conceditur. De Hyperbole, Metonymia, Apostrophe,* Ironia, *& Anaphora. Nihil dicendum per Catachresin. De usu* Εἰδώλων. *Verborum delectus habendus. Hunc qualem esse oportuerit exempla veterum poetarum docebunt. Inter illos insignioris alicujus vestigiis insistendum est. Minus illustres non omnino rejiciendi; nam ex iis seligi possunt quæ in melius referantur. De poetis cultioribus imitandis. Sæpe alludendum est ad antiquorum dicta. Verbis e* Græco *fonte depromptis, barbaris item, & obsoletis nonnunquam locus est. De Periphrasi, & Verborum compositione. Hæc licentius usurpata* Latinos *minus quam* Græcos *decet. De Tmesi & Syncope. Nomina asperiora arte sunt emollienda. Rebus verba, non verbis res, inserviant. Versuum sonus pro materiæ genere variandus est. De scriptis emendandis. Præcepta, Diis non faventibus, parum valent. Autor e numero poetarum se modeste eximit, & inde delabitur in laudes* Virgilii.

MARCI

MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM

Liber Tertius.

NUNC autem linguæ ſtudium, moremque loquendi,
Quem vates, Muſæque probent, atque autor Apollo,
Expediam, curam extremam, finemque laborum.
Diſcendum indicia, & verborum lumina quæ ſint
Munere Pieridum luſtrandis addita rebus.
Ne te, opere incœpto, deterreat ardua meta;
Audendum, puer, atque invicto pectore agendum.
Jam te Pierides ſumma en! de rupe propinquum
Voce vocant, viridique oſtentant fronde coronam
Victori, atque animo ſtimulos hortatibus addunt.

Jamque roſas calathis ſpargunt per nubila plenis
Deſuper, & florum placido te plurima nimbo
Tempeſtas operit, gratumque effuſus odorem
Ambroſiæ liquor aſpirat, divina voluptas.
Verborum in primis tenebras fuge, nubilaque atra;
Nam neque (ſi tantum fas credere) defuit olim,
Qui, lumen jucundum ultro, lucemque peroſus,
Obſcuro nebulæ ſe circumfudit amictu:
Tantus amor noctis, latebræ tam dira cupido.
Ille ego ſim, cui Pierides dent carmina Muſæ
Lumine clara ſuo, externæ nihil indiga lucis.
Nec tamen id votis optandum denique magnis:
Ipſe volens per te poteris; vis Dædala fandi
Tot ſe adeo in facies, tot ſe convertit in ora,
Mille trahens varia ſecum ratione colores.
Mille modis aperire datur mentiſque latebras;
Quique latent tacito arcani ſub pectore motus.
Si tibi, dum trepidas, non hac ſucceſſerit, & lux
Non datur hinc, te verte alio, lumenque require
Nunc hac, nunc illac, donec diffulſerit ultro,
Claraque tempeſtas cœlo radiarit aperto.
Quin etiam, anguſtis ſi non urgebere rebus,

Cum

Cum fandi tibi mille viæ, tibi mille figuræ
Occurrent, tu mille vias, tu mille figuras,
Nunc hanc, nunc aliam ingredere, & mutare memento,
Jamque hos jamque alios haud ſegnis ſumere vultus.
Nempe inde illectas aures immenſa voluptas
Detinet, & dulci pertentat pectora motu.
Ergo omnem curam impendunt, ut cernere nuſquam
Sit formas ſimiles, naturæ exempla ſequuti,
Diſſimili quod ſint facie quæcunque ſub aſtris
Vitales carpunt auras, genus omne ferarum
Atque hominum, pictæ volucres, mutæque natantes.
Nonne vides, verbis ut veris ſæpe relictis
Accerſant ſimulata, aliundeque nomina porro
Tranſportent, aptentque aliis ea rebus, ut ipſæ
Exuviaſque novas, res inſolitoſque colores
Indutæ ſæpe externi mirentur amictus
Unde illi, lætæque aliena luce fruantur,
Mutatoque habitu, nec jam ſua nomina mallent?
Sæpe ideo, cum bella canunt, incendia credas
Cernere, diluviumque ingens, ſurgentibus undis.
Contra etiam Martis pugnas imitabitur ignis,
Cum furit accenſis acies Vulcania campis.

Nec turbato oritur quondam minor æquore pugna:
Confligunt animosi Euri certamine vasto
Inter se, pugnantque adversis molibus undæ.
Usque adeo passim sua res insignia lætæ
Permutantque, juvantque vicissim, & mutua sese
Altera in alterius transformat protinus ora.
Tum specie capti gaudent spectare legentes;
Nam diversa simul datur e re cernere eadem
Multarum simulachra animo subeuntia rerum.
Ceu cum forte olim placidi liquidissima ponti
Æquora vicina aspectat de rupe viator,
Tantum illi subjecta oculis est mobilis unda;
Ille tamen sylvas, interque virentia prata
Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captosque eludit imagine visus.
Non aliter vates nunc huc traducere mentes,
Nunc illuc, animisque legentum apponere gaudet
Diversas rerum species, dum tædia vitat.
Res humiles ille interea non secius effert,
Splendore illustrans alieno, & lumine vestit,
Verborumque simul vitat dispendia parcus.
Hunc fandi morem, si vera audivimus, ipsi

Cœli-

Cœlicolæ exercent cœli in penetralibus altis,
Pieridum chorus in terras quem detulit olim,
Atque homines docuere Deum præclara reperta.
Illæ etenim Jovis ætherea dicuntur in aula
Immixtæ Superis festas agitare choreas,
Et semper canere alternæ, Phœbique fruuntur
Colloquio, vatumque inspirant pectora ab alto.
Nec tamen haud solis fugit hæc me nota poetis,
Verum etiam autores alii experiuntur, & audent,
Præcipue orantes causas, fandique magistri,
Seu sontes tendant legum compescere habenis,
Seu caros cupiant atris e mortis amicos
Faucibus eripere, & defletos reddere luci.
Quin etiam agricolas ea fandi nota voluptas
Exercet, dum læta seges, dum trudere gemmas
Incipiunt vites, sitientiaque ætheris imbrem
Prata bibunt, ridentque, satis surgentibus, agri.
Hanc vulgo speciem propriæ penuria vocis
Intulit, indictisque urgens in rebus egestas.
Quippe, ubi se vera ostendebant nomina nusquam,
Fas erat hinc atque hinc transferre similima veris.
Paulatim accrevere artes, hominumque libido:

Quodque olim usus inops reperit, nunc ipsa voluptas
Postulat, hunc addens verborum rebus honorem.
Sic homines primum venti vis aspera adegit,
Vitandique imbres, stipulis horrentia tecta
Ponere, & informi sedem arctam claudere limo:
Nunc altæ æratis trabibus, Pariisque columnis
Regifico surgunt ædes ad sidera luxu.
Parcius ista tamen delibant, & minus audent
Artifices alii, nec tanta licentia fandi
Cuique datur, solis vulgo concessa poetis:
Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, & se
Sponte sua spatiis angusti temporis arctant:
Liberius fas campum aliis decurrere apertum.
Sacri igitur vates, facta atque infecta canentes,
Libertate palam gaudent majore loquendi,
Quæsitique decent cultus magis, atque colores
Insoliti, nec erit tanto ars deprensa pudori.
Crebrius hi fando gaudent super æthera miris
Tollere res (nec sit fas tantum credere) dictis;
It cœlo clamor, tremit omnis murmure Olympus.
Nec mora, bis vocem ingeminant, urbisque ruinas,
Fataque, prælaque, & sortem execrantur iniquam,

O pater! ô patria! ô Priami domus inclyta quondam!
Clamantes, cecidit, prô Jupiter! Ilion ingens.
Quid cum Neptunum dicunt mare, vina Lyæum,
Et Cererem frumenta, patrumque e nomine natos
Significant, memorantque urbes pro civibus ipſis?
Atque ideo timor attonitos cum invaſerit Afros,
Africa terribili tremit horrida terra tumultu.
Nec deerit tibi, pro fluviis, proque omnibus undis
Pocula qui preſſis Acheloia miſceat uvis.
Ecce! autem ſubitis converſi vocibus ultro
Sæpe aliquem longe abſentem, deſertaque & antra,
Et ſolos montes affantur, ſæpe ſalutant
Sylvaſque fluvioſque, & agros, ſenſuque carentes
Speluncas, velut hæc ſint reſponſura vocata,
Et vos ô vacui compellant nomine ſaltus.
Præterea verbis inimicos addere ſenſus
Oppoſitis, dum diſſimulant, aliudque videbis
Sæpe loqui, atque aliud ſimulata condere mente.
Egregia interea conjux ita nocte ſuprema
Deiphobo fidum capiti ſubduxerat enſem.
Nec minus inſignis Drances cum ſtragis acervos
Tot dedit, & claris inſigniit arva trophæis.

Quid

Quid ſequar ulterius, quanta dulcedine captas
Detineant aures, vocem cum rurſus eandem
Ingeminant, modo non verborum cogat egeſtas?
Pan etiam Arcadia neget hoc ſi judice præſens,
Pan, etiam Arcadia dicam te judice vanum.
Hæc adeo cum ſint, cum fas audere poetis
Multa modis multis, tamen obſervare memento,
Si quando haud propriis rem mavis dicere verbis,
Tranſlatiſque aliunde notis, longeque petitis,
Ne nimiam oſtendas quærendo talia curam.
Namque aliqui exercent vim duram, & rebus iniqui
Nativam eripiunt formam, indignantibus ipſis,
Invitaſque jubent alienos ſumere vultus.
Haud magis imprudens mihi erit, & luminis expers,
Qui puero ingentes habitus det ferre gigantis,
Quam ſi quis ſtabula alta lares appellet equinos,
Aut crines magnæ genitricis gramina dicat.
Præſtiterit vero faciem ſpolia & ſua cuique
Linquere, & interdum propriis rem prodere verbis,
Indiciiſque ſuis, ea ſint modo digna Camœnis.
Res etiam poteris rebus conſerre viciſſim,
Nominibuſque ambas veriſque ſuiſque vocare;

Quod

Quod faciens, fuge verborum diſpendia, pauciſque
Includas numeris, unde illa ſimillima imago
Ducitur, & breviter confer, ne ſorte priorum
Oblitus ſermonum alio traducere mentem,
Inque alia ex aliis videare exordia labi.
Jamque age verborum qui ſit delectus habendus,
Quæ ratio: nam nec ſunt omnia verſibus apta,
Omnia nec pariter tibi ſunt uno ordine habenda.
Verſibus ipſa etiam diviſa, & carmina quantum
Carminibus diſtant, tantum diſtantia verba
Sunt etiam inter ſe, quamvis communia multa
Interdum invenies verſus diffuſa per omnes.
Multa decent ſcenam, quæ ſunt fugienda canenti
Aut Divum laudes, aut heroum inclyta facta.
Ergo alte veſtiga oculis, aciemque voluta
Verborum ſylva in magna: tum accommoda Muſis
Selige, & inſignes vocum depaſcere honores,
Ut nitidus puro verſus tibi fulgeat auro.
Rejice degenerem turbam nil lucis habentem,
Indecoreſque notas, ne ſit non digna ſupellex.
Quî fieri id poſſit veterum te ſemita vatum
Obſervata docebit: adi monumenta priorum

Cre-

Crebra oculis animoque legens, & multa voluta.
Tum quamvis, longe ſiquis ſupereminet omnes,
Virtutem ex illo, ac rationem diſcere ſandi
Te jubeam, cui contendas te reddere ſemper
Aſſimilem, atque habitus greſſuſque effingere euntis,
Quantum fata ſinunt, & non averſus Apollo:
Haud tamen interea reliquum explorare labores
Abſtiteris vatum, moneo, ſuſpectaque dicta
Sublegere, & variam ex cunctis abducere gazam.
Nec dubitem verſus hirſuti ſæpe poetæ
Suſpenſus luſtrare, & veſtigare legendo,
Sicubi ſe quædam forte inter commoda verſu
Dicta meo oſtendant, quæ mox melioribus ipſe
Auſpiciis proprios poſſim mihi vertere in uſus,
Deterſa prorſus priſca rubigine ſcabra.
Flumina ſæpe vides immundo turbida limo;
Haurit aquam tamen inde frequens concurſus, & altis
Important puteis ad pocula, deſuper illa
Occultis diffuſa canalibus influit, omnemque
Illabens bibulas labem exuit inter arenas.
Nil adeo incultum, quod non ſplendeſcere poſſit:
Præcipue, ſi cura vigil non deſit, & uſque

Men-

Mente premas, multumque animo tecum ipſe volutes.
Atque ideo ex priſcis ſemper quo more loquamur
Diſcendum, quorum depaſcimur aurea dicta,
Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.
Aſpice ut exuvias veterumque inſignia nobis
Aptemus: rerum accipimus nunc clara reperta,
Nunc ſeriem atque animum verborum, verba quoque ipſa:
Nec pudet interdum alterius nos ore loquutos.
Cum vero cultis inoliris furta poetis,
Cautius ingredere, & raptus memor occule verſis
Verborum indiciis, atque ordine falle legentes
Mutato: nova ſit facies, nova prorſus imago.
Munere (nec longum tempus) vix ipſe peracto
Dicta recognoſces veteris mutata poetæ.
Sæpe palam quidam rapiunt, cupiuntque videri
Omnibus intrepidi, ac furto lætantur in ipſo
Deprenſi: ſeu cum dictis, nihil ordine verſo,
Longe alios iiſdem ſenſus mira arte dedere,
Exueruntque animos verborum impune priores:
Seu cum certandi priſcis ſuccenſa libido;
Et poſſeſſa diu, ſed enim male condita, victis
Extorquere manu juvat, in meliuſque referre:

Ceu

Ceu ſata mutatoque ſolo felicius olim
Cernimus ad cœlum tranſlatas ſurgere plantas.
Poma quoque utilius ſuccos oblita priores
Proveniunt: ſic regna Aſiæ, Trojæque penates
Tranſtulit, auſpiciis Phrygius melioribus heros
In Latium, quamvis (nam Divum fata vocabant)
Invitus, Phœniſſa, tuo de littore ceſſit,
Nec connubia læta, nec incœpti Hymenæi
Flexerunt immitem animum: tu victa dolore
Occidis, & curæ vix ipſa in morte relinquunt.
Nunquam ô Dardaniæ tetigiſſent veſtra carinæ
Littora, ſors nulli poteras ſuccumbere culpæ.
Ergo agite ô mecum ſecuri accingite furtis
Una omnes, pueri, paſſimque avertite prædam.
Infelix autem (quidam nam ſæpe reperti)
Viribus ipſe ſuis temere qui fiſus, & arti,
Externæ quaſi opis nihil indigus, abnegat audax
Fida ſequi veterum veſtigia, dum ſibi præda
Temperat heu! nimium, atque alienis parcere crevit
(Vana ſuperſtitio!) Phœbi ſine numine cura.
Haud longum tales ideo lætantur, & ipſi
Extremum ante diem fœtus flevere caducos,

Viven-

Viventeſque ſuæ viderunt funera famæ.
Quam cuperent vano potius caruiſſe labore,
Eque ſuis alias didiciſſe parentibus artes!
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,
Atque aliud longe verbis proferre ſub iiſdem:
Nec mea tam ſapiens per ſeſe prodita quiſquam
Furta redarguerit, quæ mox manifeſta probabunt
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis:
Tantum abſit, pœnæ metuens infamis ut ipſe
Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.
Non tamen omnia te priſcis fas fidere, qui non
Omnia ſufficient: quærenti pauca labore
Attentanda tuo, nondum ulli audita, ſuperſunt.
Nos etiam quædam idcirco nova condere nulla
Relligio vetat, indictaſque effundere voces.
Ne vero hæc penitus fuerint ignota, ſuumque
Agnoſcant genus, & cognatam oſtendere gentem
Poſſint, ac ſtirpis nitantur origine certæ.
Uſque adeo patriæ tibi ſi penuria vocis
Obſtabit, fas Grajugenum felicibus oris
Devehere informem maſſam, quam incude Latina
Informans patrium jubeas dediſcere morem.

Sic quondam Auſoniæ ſuccrevit copia linguæ:
Sic auctum Latium, quo plurima tranſtulit Argis
Uſus, & exhauſtis Itali potiuntur Athenis.
Nonne vides mediis ut multa erepta Mycenis,
Graia genus, fulgent noſtris immixta, nec ullum
Apparet diſcrimen? eunt inſignibus æquis
Undique per Latios & civis & advena tractus.
Jamdudum noſtri ceſſit ſermonis egeſtas:
Raro uber patriæ tibi raro opulentia deerit.
Ipſe ſuis Cicero theſauris omnia promet,
Autoreſque alii nati felicibus annis
Omnia ſufficient, nec ſolis crede poetis.
Sæpe etiam vidi veterum inter carmina vatum
Barbarico verſus cultu, gazaque ſuperbos;
Belgicaque immiſit trans Alpes eſſeda Gallus
In Latium, & longe Macedum venere ſariſſæ:
Et metuam ne deficiat me larga ſupellex
Verborum, anguſtique premat ſermonis egeſtas?
Quin & victa ſitu, ſi me penuria adaxit,
Verba licet renovare, licet tua, ſancta vetuſtas,
Vatibus indugredi ſacraria: ſæpius olli
Ætatis gaudent inſignibus antiquai,

Et

Et veterum ornatus induti incedere avorum.
Non tamen ille vetus ſqualor ſuat undique & ater
Verborum ſitus: his modus adſit denique, quando
Copia non deſit quorum nunc pervius uſus.
Tum quoque ſi deerunt rebus ſua nomina certa,
Fas illas apta verborum ambire corona,
Et late circumfuſis comprendere dictis.
Verba etiam tum bina juvat conjungere in unum
Molliter inter ſe vinclo ſociata jugali.
Verum plura nefas vulgo congeſta coire,
Ipſaque quadrifidis ſubniti carmina membris:
Itala nec paſſim fert monſtra tricorpora tellus.
Horreſco diros ſonitus, ac levia fundo
Invitus perterricrepas per carmina voces.
Argolici, quos iſta decet conceſſa libido,
Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos:
Ter geminas immane ſtruant ad ſidera moles,
Pelion addentes Oſſæ, & Pelio Olympum.
At verbis etiam partes ingentia in ambas
Verba interpoſitis proſcindere, ſeque parare,
Deterere interdum licet, atque abſtraxe ſecando
Exiguam partem, & ſtrinxiſſe fluentia membra.

Idcirco ſiquando ducum referenda virumque
Nomina dura nimis dictu, atque aſperrima cultu,
Illa aliqui, nunc addentes, nunc inde putantes
Pauca minutatim, levant, ac mollia reddunt,
Sichæumque vocant mutata parte Sicharbam.
Hinc mihi Titanum pugnas, & ſæva gigantum
Bella magis libeat canere, Enceladique tumultus,
Quam populos Itala quondam virtute ſubactos,
Atque triumphatas diverſo a littore gentes:
Sed neque, verborum cauſa, vis ulla canentem,
Conſilium præter, cogat res addere inanes,
Nomina ſed rebus ſemper ſervire jubeto,
Omnia perpendens verſus reſonantia membra.
Verba etenim quædam ignarum te fallere poſſunt,
Ni vigiles, mandatum & munus obire recuſent,
Furenturque operi clam ſeſe, & inertia ceſſent,
Cætera dum labor exercet concordia juſſus,
Quæque ſuus: tantum illa dabunt numerumq; ſonumque.
Atque ideo quid ferre queant, quid quæque recuſent
Explorare prius labor eſto, & munera juſta
Mandato, ac proprium cunctis partire laborem.
Obſcuros aliter crepitus, & murmura vana

Miſce-

Miſcebis, ludeſque ſonis fallacibus aures.
Nec tamen interdum vacuas, animoque carentes
Addubitem ipſe volens incaſſum fundere voces,
Verbaque quæ nullo fungantur munere ſenſus:
Dives ut egregio tantum & conſpectus amictu
Verſus eat, dulcique ſono demulceat aures.
Atque adeo quæ ſint ne vero quære: profecto
Illa tibi ſe ſponte dabunt per ſe obvia paſſim.
Sæpe autem ruptis vinclis exempta volutes
Membra, & compactum quæſitor disjice verſum,
Poſt iterum refice, & partes in priſtina redde
Partibus avulſas: nunquam te libera vinclis
Incautum fallent, reſoluto carmine, verba.
Huc ades, hic penitus tibi totum Helicona recludam:
Te Muſæ, puer, hic faciles penetralibus imis
Admittunt, ſacriſque adytis invitat Apollo.
Principio quoniam magni commercia cœli
Numina conceſſere homini, cui carmina curæ,
Ipſe Deum genitor divinam noluit artem
Omnibus expoſitam vulgo, immeritiſque patere:
Atque ideo, turbam quo longe arceret inertem,
Anguſtam eſſe viam voluit, pauciſque licere;

Multa adeo incumbunt doctis vigilanda poetis.
Haud satis est illis utcunque claudere versum,
Et res verborum propria vi reddere claras:
Omnia sed numeris vocum concordibus aptant,
Atque sono quæcunque canunt imitantur, & apta
Verborum facie, & quæsito carminis ore.
Nam diversa opus est veluti dare versibus ora,
Diversosque habitus, ne qualis primus, & alter,
Talis & inde alter, vultuque incedat eodem.
Hic melior motuque pedum, & pernicibus alis,
Molle viam tacito lapsu per levia radit:
Ille autem membris, ac mole ignavius ingens
Incedit tardo molimine subsidendo.
Ecce aliquis subit egregio pulcherrimus ore,
Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorem.
Contra alius rudis, informes ostendit & artus,
Hirsutumque supercilium, ac caudam sinuosam,
Ingratus visu, sonitu illætabilis ipso.
Nec vero hæ sine lege datæ, sine mente figuræ,
Sed facies sua pro meritis, habitusque sonusque
Cunctis, cuique suus, vocum discrimine certo.
Ergo ubi jam nautæ spumas salis ære ruentes

In-

Incubuere mari, videas ſpumare reductis
Convulſum remis, roſtriſque ſtridentibus æquor.
Tunc longe ſale ſaxa ſonant, tunc & freta ventis
Incipiunt agitata tumeſcere: littore fluctus
Illidunt rauco, atque refracta remurmurat unda
Ad ſcopulos, cumulo inſequitur præruptus aquæ mons.
Nec mora, Trinacriam cernas procul intremere omnem
Funditus, & montes concurrere montibus altos.
Cum vero ex alto ſpeculatus cærula Nereus
Leniit in morem ſtagni, placidæque paludis,
Labitur uncta vadis abies, natat uncta carina.
Hinc etiam ſolers mirabere ſæpe legendo,
Sicubi Vulcanus ſylvis incendia miſit,
Aut agro, ſtipulas flamma crepitante cremari.
Nec minus exultant latices, cum teda ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni.
Carmine nec levi dicenda eſt ſcabra crepido.
Tum, ſi læta canunt, hilari quoque carmina vultu
Incedunt, lætumque ſonant haud ſegnia verba:
Seu cum vere novo rident prata humida; ſeu cum
Panditur interea domus omnipotentis Olympi.
Contra autem ſeſe triſtes inamabile carmen

In-

Induit in vultus, ſi forte inviſa volucris
Nocte ſedens ſerum canit importuna per umbras,
Ut quondam in buſtis, aut culminibus deſertis.
Verba etiam res exiguas anguſta ſequuntur,
Ingenteſque juvant ingentia: cuncta gigantem
Vaſta decent, vultus immanes, pectora lata,
Et magni membrorum artus, magna oſſa, lacertique.
Atque adeo, ſiquid geritur molimine magno,
Adde moram, & paritèr tecum quoque verba laborent.
Segnia: ſeu quando vi multa gleba coactis
Æternum frangenda bidentibus, æquore ſeu cum
Cornua velatarum obvertimus antennarum.
At mora ſi fuerit damno, properare jubebo.
Si ſe forte cava extulerit mala vipera terra,
Tolle moras, cape ſaxa manu, cape robora, paſtor:
Ferte citi flammas, date tela, repellite peſtem.
Ipſe etiam verſus ruat, in præcepſque feratur,
Immenſo cum præcipitans ruit Oceano nox,
Aut cum perculſus graviter procumbit humi bos.
Cumque etiam requies rebus datur, ipſa quoque ultro
Carmina pauliſper curſu ceſſare videbis
In medio interrupta: quierunt cum freta ponti,

Poſt-

Poſtquam auræ poſuere, quieſcere protinus ipſum
Cernere erit, mediiſque incœptis ſiſtere verſum.
Quid dicam, ſenior cum telum imbelle ſine ictu
Invalidus jacit, & defectis viribus æger?
Nam quoque tum verſus ſegni pariter pede languet:
Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires.
Fortem autem juvenem deceat prorumpere in arces,
Evertiſſe domos, præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus perrumpere, ſternere turres
Ingentes, totoque ferum dare funera campo.
Nulla adeo vatum major prudentia, quam ſe
Aut premere, aut rerum pro majeſtate canendo
Tollere: nunc illos animum ſummittere cernas
Verborum parcos, humilique obrepere greſſu,
Textaque vix gracili deducere carmina filo,
Nunc illos, verbis opulentos, divite vena
Cernere erit fluere, ac laxis decurrere habenis
Fluxoſque ingenteſque: redundat copia læta
Ubere felici, verborumque ingruit agmen,
Hibernarum inſtar nivium, cum Juppiter Alpes
Frigidus æreas, atque alta cacumina veſtit.
Interdum vero cohibent undantia lora,

Non

Non humiles, non ſublimes, media inter utrumque.
Littus arant veluti ſpatia, & confinia radunt:
Sic demum portu læti conduntur in alto.

Quod ſupereſt, quæ poſtremo peragenda poetæ,
Expediam. Poſtquam caſus evaſerit omnes,
Signaque perpetuum deduxit ad ultima carmen
Exultans animo victor, lætuſque laborum;
Non, totam ſubito præceps ſecura per urbem
Carmina vulgabit: ah! ne ſit gloria tanti,
Et dulcis famæ quondam maleſuada cupido:
At patiens operum ſemper, metuenſque pericli
Expectet, donec ſedata mente calorem
Paulatim exuerit, fœtuſque abolerit amorem
Ipſe ſui, curamque alio traduxerit omnem.
Interea fidos adit haud ſecurus amicos,
Utque velint inimicum animum, frontiſque ſeveræ
Dura ſupercilia induere, & non parcere culpæ,
Hos iterum atque iterum rogat; admonituſque latentis
Grates lætus agit vitii, & peccata fatetur
Sponte ſua, quamvis etiam damnetur iniquo
Judicio, & falſum queat ore refellere crimen.
Tum demum redit, & poſt longa oblivia per ſe

Incipit hic illic veterem explorare laborem.
Ecce! autem ante oculos nova ſe fert undique imago,
Longe alia heu! facies rerum, mutataque ab illis
Carmina, quæ tantum ante, recens confecta, placebant.
Miratur tacitus, nec ſe cognoſcit in illis
Immemor, atque operum piget, ac ſeſe increpat ultro.
Tum retractat opus, commiſſa piacula doctæ
Palladis arte luens: nunc hæc, nunc rejicit illa,
Omnia tuta timens, melioraque ſufficit illis,
Attondetque comas ſtringens, ſylvamque fluentem,
Luxuriemque minutatim depaſcit inanem,
Exercens durum imperium: dum funditus omnem,
Nocturnis inſtans operis, operiſque diurnis,
Verſibus eluerit labem, & commiſſa piarit.
Arduus hic labor: hic autem durate, poetæ,
Gloria quos movet æternæ pulcherrima famæ.
Tum ſiqua eſt etiam pars imperfecta relicta,
Olim dum properat furor, ingeniique morari
Tempeſtas renuit, ſuppletque, & verſibus affert
Invalidis miſeratus opem, claudiſque medetur.
Nec ſemel attrectare ſatis, verum omne quotannis
Terque, quaterque opus evolvendum, verbaque verſis

Æter-

Æternum immutanda coloribus: omne frequenti
Sæpe reviſendum ſtudio per ſingula carmen.
Quod non una dies, ſors afferet altera, & ultro,
Nullo olim ſtudio, nulla olim in carmine cura,
Deprenſæ per ſe prodentur tempore culpæ,
Quæque latent variæ denſa inter nubila peſtes.
Quin etiam doctum multum juvet ille laborem,
Qui varias cœli creber mutaverit oras.
Namque etiam mutant animi, genioque locorum
Diverſas ſpecies, diverſos pectora motus
Concipiunt, noſtriſque novæ ſe mentibus offert
Ultro aliquid ſemper lucis, tenebræque recedunt,
Atque novos operi ſemper fas addere flores.
Verum eſto hic etiam modus: huic imponere curæ
Neſcivere aliqui finem, medicaſque ſecandis
Morbis abſtinuiſſe manus, & parcere tandem
Immites, donec macie confectus & æger
Aruit exhauſto velut omni ſanguine fœtus,
Nativumque decus poſuit, dum plurima ubique
Deformat ſectos artus inhoneſta cicatrix.
Tuque ideo vitæ uſque memor brevioris, ubi annos
Poſt aliquot (neque enim numerum, neque tempora pono

Cer-

Certa tibi) addideris decoris ſatis, atque nitoris,
Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem,
Perque manus, perque ora virum permitte vagari.
Continuo læto te dulces undique amici
Gratantes plauſu excipient: tua gloria cœlo
Succedet, nomenque tuum ſinus ultimus orbis
Audiet, ac nullo diffuſum abolebitur ævo.
Et dubitamus opes animo contemnere avari,
Nec potius ſequimur dulces ante omnia Muſas?
O fortunati! quibus olim hæc numina dextra
Annuerint præcepta ſequi, quæve ipſe canendo
Juſſa dedi plenus Phœbo, attonituſque furore:
Quando non artes ſatis ullæ; hominumque labores,
Et mea dicta parum proſint, ni deſuper adſit
Auxilium, ac præſens favor omnipotentis Olympi.
Ipſe viam tantum potui docuiſſe repertam
Aonas ad montes, longeque oſtendere Muſas,
Plaudentes celſæ choreas in vertice rupis,
Quo me haud ire ſinunt unquam fata invida, & uſque
Abſterrentque, arcentque procul, nec ſumma jugi unquam
Fas prenſare manu faſtigia: ſat mihi, ſiquem,
Siquem olim longe aſpiciam mea fida ſequutum

Indicia exuperaſſe viam, ſummoque receptum
Vertice, & hærentes ſocios juga ad alta vocantem.
Sed nonnulla tamen noſtri quoque gratia facti
Forſan erit: me fida olim præcepta canentem
Stipabunt juvenes denſo circum agmine fuſi,
Et vocem excipient intenti ſenſibus omnes.
Tum, vitæ ſi juſta meæ procedere luſtra
Fata ſinent, nec me viridi ſuccideret ævo
Impia mors, olli gelida tardante ſenecta
Languentem, & ſera deſeſſum ætate magiſtrum
Certatim prenſa ſuper alta cacumina dextra
Sæpe trahent, ultroque ferent per amœna locorum,
Et ſummi invalidum ſiſtent ad limina Phœbi,
Cantantem Muſas, vatumque inventa piorum.
Virgilii ante omnes læti hic ſuper aſtra feremus
Carminibus patriis laudes; decus unde Latinum,
Unde mihi vires, animus mihi ducitur unde:
Primus ut Aoniis Muſas deduxerit oris,
Argolicum reſonans Romana per oppida carmen:
Ut juvenis Siculas ſylvis inflarit avenas:
Utque idem, Auſonios animi miſeratus agreſtes,
Extulerit ſacros miris ſuper æthera honores,

Triptolemi invectus volucri per ſidera curru:
Res demum ingreſſus Romanæ laudis, ad arma
Excierit Latium omne, Phrygumque inſtruxerit alas,
Verba Deo ſimilis: decus à te principe noſtrum
Omne, pater! tibi Grajugenum de gente trophæa
Suſpendunt Itali vates, tua ſigna ſequuti.
Omnis in Elyſiis unum te Græcia campis
Miraturque, auditque ultro, aſſurgitque canenti,
Te ſine, nil nobis pulchrum: omnes ora Latini
In te, oculoſque ferunt verſi: tua maxima virtus
Omnibus auxilio eſt: tua libant carmina paſſim
Aſſidui, primis & te venerantur ab annis.
Ne tibi quis vatum certaverit: omnia cedant
Secla, nec invideant primos tibi laudis honores.
Fortunate operum! tua præſtans gloria famæ,
Quo quenquam aſpirare nefas, ſeſe extulit alis.
Nil adeo mortale ſonas: tibi captus amore
Ipſe ſuos animos, ſua munera lætus Apollo
Addidit, ac multa præſtantem inſigniit arte.
Quodcunque hoc opis, atque artis, noſtrique reperti
Uni grata tibi debet præclara juventus,
Quam docui, & rupis ſacræ ſuper ardua duxi,

Trip-

Dum tua fida lego vestigia, te sequor unum
O decus Italiæ! lux o clarissima vatum!
Te colimus, tibi serta damus, tibi tura, tibi aras
Et tibi rite sacrum semper dicamus honorem
Carminibus memores: salve sanctissime vates!
Laudibus augeri tua gloria nil potis ultra,
Et nostræ nil vocis eget: nos aspice præsens,
Pectoribusque tuos castis infunde calores
Adveniens, pater! atque animis te te insere nostris.

FINIS.

ANNOTATIONES
AD
MARCI HIERONYMI
VIDÆ
POETICORUM
LIBROS TRES.

BRITISH MUSEUM

ANNOTATIONES AD MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM

LIBRUM PRIMUM.

v. 11. *Primus ades*, FRANCISCE:] Regius hic adoleſcens *Feb.* die 28. Anno Salutis MDXVIII. in *Ambacienci* caſtro natus eſt. Vultu, nec minus inclytis animi dotibus, eximium patrem mire referebat. Hinc evaſit illius deliciæ, totique *Franciæ* ſpes ſummas futuræ magnitudinis injecit; quas indies creſcentes, antequam undeviceſimum ætatis annum ſuperaſſet, præmatura morte extinctus abrupit. An aqua frigidiori, cum parvæ pilæ ludo ferveret, intemperanter hauſta naturalem calorem oppreſſerit, an veneno, fraude *Sebaſtiani Montecuculi* aqua commiſto, fuerit infectus, vix ſatis liquet. Dum autem prono *Rhodani* flumine delatus a *Lugduno Valentiam* contenderet, repentino ægrotavit. Commoratus eſt igitur *Tauredani*, ubi, ingraveſcente morbo, intra quatriduum, *Auguſti* die 10. A. D. MDXXXVI. e vivis exceſſit ab omnibus effuſiſſime deflctus. *Thuan.* Hiſt. L. 1. *Jovius* Hiſt. L. 35. *Sleidan.* L. 10. *Buſtieres* Hiſt. *Franc.* L. 17. *Mezer.* Hiſt. *Fr. &c.*

v. 15. *Dum procul a patria raptum* &c.] *Franciſcus* I. A. D. MDXXV. *Feb.* die 24. cum *Caroli* V. copiis, ſub *Papiæ*, quam obſidebat, mœnibus, fortiſſime ſed infeliciter congreſſus, ab iis captus eſt, & in *Hiſpaniam* deductus. Anno ſubſequenti

ſequenti ſe conditionibus, quas ab ægroto victor exegit, duris redimens, *Feb.* die 14. libertatem adeptus eſt, duobus natu majoribus filiis, obſidibus ſervandæ fidei, traditis. Hi vices fortunæ paternæ ſubeuntes plus quam triennе pertulerunt exilium, cui finem impoſuit Pax inita *Camaraci* A. D. MDXXIX. *Mezer.* Hiſt. *Franc. Sleid.* L. 4 & 6. *Buſlieres* Hiſt. *Franc.* L. 16. &c.

v. 28. —— *Licet celebranda reperti*
Ad ſacra ſint tantum verſus] Hic *Vidam* errare aſſerit *J. Cæſ. Scaliger Poet.* Lib. 6. c. 4. affirmans in agreſti vita apud Paſtores extitiſſe verſus primos. Iſta vero Hypercritici opinio, innixa tantum conjecturæ, nec probatur, nec probari poteſt. Apud *Græcos* enim *Orphei* & *Homeri* Hymnis quid extat antiquius? Si vero extaret, Hymnorum antiquitati nihil detraheretur: Non enim *Græcis*, ſed *Hebræis* poeſeos inveniendæ gloria debetur, qui non tantum *Trojano* Bello ſed & *Cadmi* in *Bœotiam* adventui ætate præceſſerunt. Illorum autem nulla ſunt carmina, quæ Hymnis in S. S. Scripturis, præſertim ei *Moſis* & *Miriæ*, *Exod.* 15. (quem ἐξαμέτρῳ τινὶ decantatum eſſe teſtatur *Joſeph.* Lib. 2. c. ult. *Ant. Jud.*) antiquitatis palmam præripiant.

v. 33 *Sed nullum è numero carmen* &c.] In quo conſtat carminis heroici virtus docet his verbis ARISTOTELES, Τὸ Ἡρῷον συνεστάναι τῷ ἐγκαθίστασθαι τὸ μέτρον ἐστί. *Poet.* c. 24.

v. 36. —— *Venerabile donum*
Phemonoes, *quæ* &c.] VOSSIUS *Inſtitut. Poet.* Lib. 1. c. 3. Cum *Plinio* conveniunt qui eam laudem tribuunt *Phemonoe*, ut quæ ſacerdos & ἀοιδὸς *Apollinis* fuerit. Eſt hæc ſententia *Euſtathii* in *Il.* & *Tzetzis* Proleg. in *Lycophronem*. Ac ſimiliter *Fortunatianus* in re metrica. Imo & ante hos omnes, præterquam *Plinium*, idem dixerat *Pauſanias* in *Phocicis*. Et abſque dubio hæc cauſa eſt, cur *Lucanus* Lib. 5. *Phemonoen* appellet eam quoque, quæ *Appia Delphis* reſponſa dabat. Sane & *Strabo* Lib. 20. ait ἀοιδὴν δ' Ὁμηρικὴν φασὶ ἡρῴαν Πυθίαν. Primus verſus, quem profudit, fuiſſe hic dicitur:

Σεμφάμην πατέρα τ' οἰωνοὶ, καμέν τε μιδέαν.

Vixiſſe aliqui *Phemonoen* aiunt temporibus *Achantis*, *Argivorum* regis; alii ſub *Acriſio*; ut de utroque teſtis eſt *Cle-*

mens

mens *Alexandrinus* Lib. 1. Στρωμ. Sed *Clemens* non tam eam carminis heroici inventricem putat, quam primam heroico carmine vaticinatam. Quæ & *Eusebii* in *Chronicis* sententia est. Vide & de ea re *Plinium*, Lib. 10. c. 3. & 8. *Servium*, in 3. *Æn.* & ex eo *Isidorum*, *Originum* Lib. 8 c. 8.

v. 57. *Sed neque cum primum* &c.] QUINTIL. *Institut. Orat.* L. 10 c. 3. Sit primo vel tardus, modo diligens stylus; quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus; adhibeatur Judicium inventis, Dispositio probatis.

v. 62. *Ante etiam pelago quam pandas* &c.] *Id.* Lib. 10. c. 1. Non dubium est quin ei velut opes sint quædam parandæ, quibus uti, ubicunque desideratum erit, possit: eæ constant copia rerum & verborum.

v. 67. *Sponte sua, dum* &c.] Quid inde faciendum est, monet QUINTIL. L. 10. c. 3. Debet vacare locus, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem, id est, ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inferere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur, interim memoriæ suæ intentos ab alia inventione declinant, ideoque optime sunt in depositio.

v. 71. *Nec mihi non placeant qui*, &c.] ERASMUS *de Copia Verb.* c. 9. Præcipuam autem utilitatem adferet, si bonos nos autores nocturna diurnaque manu versabimus, potissimum hos qui copia dicendi præcelluerunt; atque in his vigilantibus oculis figuras omnes observemus, observatas memoria recondamus, reconditas imitemur, crebraque usurpatione consuescamus habere in promptu.

v. 75. *Quinetiam prius effigiem* &c.] ARISTOT. *Poet.* c. 17. Δεῖ δ' τὸν μύθους συνιστάναι, καὶ τῇ λέξει συναπεργάζεσθαι, ὅτι μάλιστα πρὸ ὀμμάτων τιθέμενον. Οὕτω γὰρ ἂν ἐναργέστατα ὁρῶν, ὥσπερ παρ' αὐτοῖς γιγνόμενος τοῖς πραττομένοις, εὑρίσκοι τὸ πρέπον, καὶ ἥκιστα ἂν λανθάνοιτο τὰ ὑπεναντία.

v. 86. *Postquam igitur primas fandi* &c.] PETRONIUS futurum oratorem instituens hortatur ut

—— Det primos versibus annos,
*Mæonium*que bibat felici pectore fontem.

Et si aliis studiis dedito a Poesi sit auspicandum, quanto magis

These two leaves are only misplaced they will come in order after the two following.

magis futuro poetæ? ut obſervat VOSSIUS *de Art. Poet. Nat.* c. 9.

v. 89. *Ille autem parvum* &c.] ERASMUS *de Rat. Stud.* Optima, & quidem ab optimis, ſunt diſcenda. Quid enim ſtultius quam magno labore diſcere, quæ poſtea majori cogaris dediſcere? Nihil autem facilius diſcitur, quam quod rectum & verum eſt. At prava ſi ſemel inhæſerint ingenio, dictu mirum quam non poſſint revelli.

v. 94. *Quæ poſt infecto ex animo* &c.] QUINTIL. L. 1. Natura tenaciſſimi ſumus eorum quæ rudibus annis percipimus; ut ſapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt. Non aſſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni qui dediſcendus eſt.

v. 96. *Idcirco mihi ne quiſquam perſuadeat* &c.] PLUTAR. περὶ Παιδ. Αγωγ. Επειδὰν γαίνυ ἡλικίαν λάβωσιν ὑπὸ παιδαγωγοῖς γενέσθαι, ἐντεῦθεν δὲ πολλὴν ἐπιμέλειαν ἐκτέον ἢ τέκνων κατασκέσεως, ὡς μὴ λάθωσιν ἀνδραποδώδεις, ἢ βαρυσάρκοις καὶ τέκνοις πειθαρχοῦντες.

v. 111. *Jamque ſacrum teneris vatem* &c.] QUINT. Lib. 1 c. 8. Optime inſtitutum eſt ut ab *Homero* atque *Virgilio* lectio inciperet; quanquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore judicio opus eſſet. Sed huic rei ſupereſt tempus: neque enim ſemel legentur. Interim & ſublimitate heroici carminis animus aſſurgat, & ex magnitudine rerum ſpiritum ducat, & optimis imbuatur.

v. 115. *Nec mora, jam ſævet* Aſcanio &c.] De *Aſcanio* paſſim videſis *Æn.* de *Lauſo*, dum patri *Mezentio* ſubvenit, interfecto, Lib. 10. V. 820. de *Pallante* ib. V. 433. Horum fortaſſe de fatis juvenem ſuum Poeta monendum eſſe voluit, vel quia ſimilitudo ætatis attentiorem reddat, vel quia fabulæ ad excitandam miſericordiam confictæ teneriores animos impenſius oblectent.

v. 136. —— *hinc pectora numen*
Concipiunt vates,] DIONYSIUS HALICARN. *de Struct. Orat. Sect.* 24. alludens ad *Il.* 21. v. 196. Κορυφὴ μὲν ὧν ἁπάντων ἡ Σκοπὸς,

Ἐξ ἧς πᾶσι πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσαι θάλασσαι
Καὶ πᾶσαι πηγαὶ,
διαπέμπει ὁ Ὁμηρος λέγων.

v. 192.

v. 192. *Jampridem tamen* Auſonios *inviſere* &c.] Gens MEDICEA tribus in unius ætatis ſpatio viris inclaruit, qui, virtutibus ſuis Muſarum favorem conſecuti, Muſas viciſſim ſingulari benevolentia reſpexerunt, exemplo ſuo confirmantes Poetæ dictum illud

Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Ex iis primus hanc gloriam principe vere dignam acquiſivit COSMUS ille decreto publico *Pater Patriæ* vocatus. *Græcæ* Linguæ & literarum humaniorum peritiſſimos ex aliis regionibus ad *Florentiam* præceptores, qui Juventutem erudirent, præmiis invitavit ampliſſimis. Eruditos quam plurimum fovit, & ſcriptores, libris in lucem editis inſignes, muneribus magnificis affecit: unde artes, quæ plane extinctæ erant, reviviſcentes illi prorſus debeat *Italia*. Vir hic celeberrimus, poſt res *Florentiæ* longo temporis decurſu prudentiſſime adminiſtratas, pluſquam Septuagenarius A. D. MCCCCLXIV. annis & fama cumulatus occubuit, per doctorum hominum, quos adeo ſinu geſtaverat, labores immortalitati conſecratus.

COSMI veſtigiis ſedulo inſiſtebat, illud alterum MEDICEI nominis columen, ejus nepos LAURENTIUS, decoris feliciter æmulus aviti. Ardenti literatos ſtudio complectebatur, quibus (teſte *Politiano*) honorem atque etiam reverentiam exhibuit. Iis ut non opum modo, ſed & voluminum pretioſiorum, copia ſuppeteret, *Joannem Laſcarim* in *Græciam*, qui Codices MSS. quantovis pretio coemeret, legavit; ſummamque poſuit induſtriam, & immanes ſumptus fecit in libris quibuſque excellentioribus per totum orbem conquirendis. Hæc illum, & alia quævis ad bonas artes promovendas accommoda, molientem A. D. MCCCCXCII. mors abripuit, non tantum in illius ſeculi, ſed & ipſius poſteritatis, damnum.

Sublato e vivis LAURENTIO, ab ejus filio JOANNE (cui, quum Pontifex A. D. MDXIII. renunciaretur, LEONIS X. nomen inditum eſt) Reipub. Literariæ nova ſpes affulſit. Is ad ſummum rerum faſtigium aſſurgens Muſas ſecum evehere non dedignatus eſt. Tum redux videbatur ætas *Auguſtea*: viguit Poeſis, & floruerunt artes, ſub præſidio principis enutritæ. Accitis undique clariſſimis omnium ſcien-

ſcientiarum profeſſoribus, *Romæ* gymnaſium inſtauratur. Omnes vel mediocris ingenii poetæ, omnes in quavis literarum provincia verſati benignitate Pontificis recreabantur. Nec quiſquam, aut inter cives, aut inter peregrinos, ullius artis nobilioris fama conſpicuus vigilem ejus munificentiam delituit. In tantum denique vir hic illuſtris laudandus eſt, in quantum liberalitas & artium promovendarum ſtudium poſſunt intelligi. De eo plura videſis in Annot. ad L. 2. v. 603. de *Coſmo* conſule *Jovium* in Elog. de *Laurentio* eundem, & *Polit.* Epiſt. L. 4. de utroque *Machiav.* Hiſt. *Florent.* L. 6. & 8. de *Leone Ciaconium*, *Onuphrium*, &c. in Vit. Pontif. de omnibus *Jovium* in *Leonis* Vita.

v. 296. —— *Necdum civiles condimus enſes.*] Vide Annot. in L. 2. v. 564.

v. 212. *Parce dehinc, puer*, &c.] QUINTIL. Lib. 10. c. 1. Diu non niſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minime fallat, legendus eſt.

v. 217. *Quærendus rector* &c.] *Id.* L. 1. c. 1. De pædagogis hoc amplius, ut ſint eruditi plane, quam primam eſſe curam velim.

v. 219. *Qui curas dulces* &c.] *Id.* L. 2. c. 2. Sumat [præceptor] ante omnia parentis in diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum, a quibus ſibi liberi tradentur, exiſtimet.

v. 227. *Sic quoque vos cultis* &c.] Eodem fere modo illuſtrat utilitatem diſciplinæ PLUTARCHUS *περὶ Παιδ. Αγωγ. Καθάπερ τὰς χώρας οἱ γεωργοὶ τῆς φυτῆς παραλήψονται, ὅταν οἱ νόμιμοι τῶν διδασκάλων ἐπιμελεῖς τὰς ὑποδήκας καὶ παιδείας παραπηγνύωσι τοῖς νέοις.*

v. 233. —— *In primis optet amari.*] QUINTIL. L. 2. c. 2. Præceptorem diſcipuli, ſi modo recte ſunt inſtituti, & amant & verentur. Vix autem dici poteſt quanto libentius imitemur eos quibus favemus.

v. 235. *Ne ſorte & ſacras* &c.] *Id.* L. 1. c. 1. Id in primis cavere oportebit, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet.

v. 238. *Ponite crudeles* &c.] PLUTARCH. *περὶ Παιδ. Αγω-*

Ἀγωγὸς. Κρίνουσι φησὶ, δεῖν τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις, μὴ μὲν διὰ πληγῶν μηδ' αἰσχυντηρῶν δεήσεσι γὰρ τὰ τοιαῦτα τοῖς ἀνέλευθοις μᾶλλον ἢ τοῖς ἐλευθέροις ἁρμόττειν· ἀναγκαῖον γὰρ καὶ φρίττουσι πρὸς τοὺς πόνους, τὰ μὲν λόγῳ τοὺς ἀνελευθέρους δὲ πληγαῖς, τὰ δὲ καὶ λόγῳ τοὺς ὕβρεις. VIPERANUS *de Ratione Docendi.* Deſideratur facilitas in audiendo, lenitas in reſpondendo, patientia in docendo, atque omnis communis vitæ humanitas; ne vel dura oratione vel aſperis moribus diſcipulos a ſe Muſiſque rejiciat. TERENTIUS *Adel.* Act. 1. Sc. 1.

Pudore & liberalitate liberos
Retinere ſatius eſſe credo, quam metu.

QUINTIL. L. 1. c. 3. Cædi diſcentes minime velim: primum, quia ſervile eſt, & certe quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria: deinde, quod ſi cui tam eſt mens illiberalis ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur.

v. 254. *Inſignis facie ante alios*] Nihil poetis familiarius quam perſonis, in quas legentium favorem excitarent, venuſtatem tribuere. Hoc qua de cauſa factum ſit melius intellexit *Vida*, quam ut omitteret.

v. 263. *Illum populifer* Padus, *illum* Serius *&c.*] *Padus* melius deſcribi non poteſt quam *Vidæ* ipſius verbis, e *Chriſtiad.* L. 1. deſumptis;

Pinifero *Veſuli* de vertice primum
It *Padus*, exiguo ſulcans ſata pinguia rivo:
Hinc magis atque magis labendo viribus auctus
Surgit, latifluoque ſonans ſe gurgite pandit
Victor: opes amnes varii auxiliaribus undis
Hinc addunt, atque inde; ſuo nec ſe capit alveo
Turbidus, haud uno dum rumpat in æquora cornu.

Serius oritur e montibus in limite *Rhætorum* & Vallis *Tellinæ*, prope *Cremam* & *Bergomum* labitur, & paulo ſupra *Piceleonem* (rurſus Authoris noſtri verbis utor)

—— exit in alveum,
Addua magne, tuum, & tecum in vada ſolvitur alti
Eridani,
Flumine turrigeræ radens ſata culta *Cremonæ*. *Bomb.* L. 2.

v. 265. —— *Vatem cum dura jubentem*

Phœbigenam &c.] De infelici *Vatis* hujus *Phœbigenæ* exitu ſic APOLLODORUS *Biblioth.* L. 2. Ἐδιδάχθη Ἡρακλῆς κιθαρῳδεῖν ὑπὸ Λίνου· ἦν δὲ οὗτος ἀδελφὸς Ὀρφέως. Ἀφικόμενος δὲ εἰς Θήβας, καὶ Θηβαίῳ γενόμενος, ὑπὸ Ἡρακλέους τῇ κιθάρᾳ πληγεὶς ἀπέθανε· ἐπιπλήξαντα γὰρ αὐτὸν ὀργισθεὶς ἀπέκτεινε. Hujus etiam rei meminerunt *Lil. Gyraldus* in *Herculis* Vita, & *Politianus* in *Nutric.*

v. 269. *Vos tamen, o juſſi juvenes* &c.] JUVEN. *Sat.* 7. v. 207.

Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui Præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco!

VIPER. *De Rat. Doc.* Debet [adoleſcens,] ſi erudiri velit, ejus dictis, tanquam oraculis *Pythii Apollinis*, fidem habere; ſicut *Pythagorei*, quibus magiſtri verbum erat pro ratione: quippe oportet diſcentem credere, alioquin nihil addiſcet, quia ſemper dubius erit.

v. 272. —— *Verbis puerum compellat amicis,*
Sæpe rogans &c. QUINTIL. Lib. 1. cap. 1. Luſus hic ſit; & rogetur, & laudetur, & nonnunquam ſciſſe ſe gaudeat.

v. 278. *Quid memorem? ſocium nam mos* &c.] *Id. ib.* Aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui invideat: contendat interim, & præmiis, quæ capit illa ætas, evocetur.

v. 283. *Continuo videas* &c.] VELL. PATERCULUS L. 1. c. 17. Alit æmulatio ingenia; & nunc invidia, nunc admiratio in imitationem accendit.

v. 310. Tybure *quam mallet, gelido aut ſub* Tuſculo *&c.*] *Tybur*, hodie *Tivoli*, eſt urbs *Campaniæ Romanæ*, in ditione Pontificia, prope *Anienis* a monte præcipitantis cataractam, 16 milliaribus in ortum a *Roma* diſtans. *Tuſculum*, hodie *Fraſcati*, eſt etiam urbs *Campaniæ Romanæ* 12 milliaribus in ortum a Roma diſtans. Hic autem nomine *Tuſculi* deſignari videtur vicinus is locus in ſummo montis cacumine ubi vetus *Tuſculum* vulgo, (ſed, ut *Baudrandus* conjicit, falſo) fuiſſe creditur: huic enim melius convenit illud *ventos perferre nivales.*

v. 319. —— *Inardeſcitque ingenti laudis amore*] CICERO pro *Arch.* poet. Optimus quiſque maxime gloria ducitur.

v. 320.

v. 320. *Provocat hinc ſocios*] QUINTIL. L. 1. c. 1. Mihi ille detur puer, quem laus excitat, quem gloria juvat, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit, in hoc deſidiam nunquam verebor.

v. 334. *Nec placet ante annos vates puer*: &c.] PETRONIUS, Si [parentes] paterentur laborum gradus fieri, ut ſtudioſi juvenes lectione ſevera mitigarentur, ut verba atroci ſtylo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent, ſibi nihil eſſet magnificum quod pueris placeret. QUINT. L. 1. c. 3. Illud Ingeniorum velut præcox genus non temere unquam pervenit ad frugem. Hi ſunt, qui parva facile ſciunt, & audacia provecti, quicquid illico poſſunt, ſtatim oſtendunt. Non multum præſtant, ſed cito. Non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus nititur; ut quæ ſummo ſolo ſparſa ſunt ſemina celerius ſe effundunt; & imitatæ ſpicas herbulæ inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt. Placent hæc annis comparata, deinde ſtat profectus, & admiratio decreſcit. *Id.* L. 1. c. 3. Mihi ne maturitas quidem ipſa feſtinet, ne muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent, & vetuſtate proficient.

v. 340. *Nec ludos puero abnuimus*: &c.] PLUTARCHUS περὶ Παιδ. Ἀγωγῆς· Ὥσπερ τὰ φυτὰ τοῖς μὲ μετρίως ὕδασι τρέφεται, τοῖς δ' πολλοῖς πνίγεται, ἅ αὐτὸν τρόπον ψυχὴ τοῖς μὲ συμμέτροις αὔξεται πόνοις, τοῖς δ' ὑπερφόλοις βαπτίζεται· διὸ καὶ τοῖς παισὶν ἀναπνοὴ τῶν συνεχῶν πόνων, εἰθυμεμφῶς ὅτι πᾶς ὁ βίος ἡμῶν εἰς ἄπαντα τὸν ἀπαιδευσίαν ἀφήρηται· τὸ δὲ τοῦτο ἐ μόνον ἐσφύζησις, ἀλλὰ τὸ ὑπερ ἐυρίθμου· ἐδὲ πολίμιος, ἀλλὰ ἐ εἰρήνη· ἐδὲ χειμὼν, ἀλλὰ τὸ εὐδίαν· ἐδὲ ἐσπερὶ σπάξεως, ἀλλὰ ἐ ἑορτή. σπουδὴ δ' εἰπεῖν, Η ἀνάπαυσις, ἅ πόνων ἄρτυμα ἐσί. QUINTIL. Lib. 1. c. 3. Danda eſt omnibus aliqua remiſſio: non ſolum quia nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem; atque ea quoque quæ ſenſu & anima carent, ut ſervare vim ſuam poſſint, velut alterna quiete retenduntur; ſed quia ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat.

v. 349. —— Albunea *vitreas* Anienis &c.] *Albunea*, hodie *Albuna*, ſilva fuit Muſis ſacra, non ita procul ab ejuſ-

dem nominis fonte, unde oritur *Albula*, quæ in *Anienem* profluit. *Anio*, hodie *Teverone*, eſt *Latii* fluvius, qui, e *Trebano* monte ortus, tribus mill. paſſ. a *Roma*, in *Tiberim* labitur, *Sabinis* a *Latio* ſeparatis.

v. 352. *Interea vires tellus inarata* &c.] SENECA *de Tranquill. Animi* cap. 15. Danda eſt remiſſio animis: meliores acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilibus agris non eſt imperandum; cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. QUINTIL. L. 1. c. 3. Virium plus afferunt renovati & recentes, & acriorem animum, qui fere neceſſitatibus repugnat.

v. 354. *Verum non eadem* &c.] *Idem* L. 2. c. 1. Virtus præceptoris haberi ſolet, nec immerito, diligenter, in iis quos erudiendos ſuſceperit, notare diſcrimina ingeniorum, & quo quemque natura maxime ferat ſcire. Nam eſt in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum pene quam corporum formæ. *Idem ibid.* Proprietates ingeniorum diſpicere prorſus neceſſarium eſt. In his quoque certum ſtudiorum facere delectum nemo diſſuaſerit. Namque erit alius hiſtoriæ magis idoneus, alius compoſitus ad carmen, alius utilis ſtudio juris. VIPERANUS *de Ratione Docendi.* Monendi nunc ſunt ii, qui ſe literis volunt addicere, ut ingenium ſuum probe noſcant, & ad quam doctrinam applicent diligenter ſpectent. Non enim omnium eſt idem ingenium, neque in iiſdem omnes artibus ſunt itidem habiles; quia non ſunt omnes ad omnes artes a natura ſimiliter facti: non omnium corporum eadem eſt temperatio, neque eadem omnibus, dum naſcuntur, cœli affectio & ſiderum compoſitio. Unde in quibuſdam ingenium, cujus acumen dialecticæ diſputationes amant; in quibuſdam memoria, cujus facultas in legum ſcientia maxime requiritur; in quibuſdam enitet judicium, cujus magnitudinem laudamus in phyſicis gravioribuſque doctrinis.

v. 364. *Nec labor ille quidem rectoribus* &c.] Huic ſententiæ favet QUINTILIANUS Lib. 1. c. 8. ubi præcipit ut elegiæ & verſus amatorii a puerorum oculis amoveantur.

v. 384.

v. 384. *Nulla ſit ingenio quam non libaverit artem.*] PLUTARCHUS περὶ Παιδ. Ἀγωγ. Δεῖ τὸ παιδικὸν τὸ ἱλαρὸν μηδὲ τῶν ἄλλων τῶν καλλιμένων ἐγκυκλίων παιδευμάτων μήτε ἀπήκοον, μήτε ἀμέτοχον εἶναι ἐᾶν ἴσως.

v. 400. *Vos ſat erit, pueri, tantum omnes iſſe per artes,*] *Idem* ſtatim poſt verba modo laudata, Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν παιδρομίαις μᾶλλον, ἀναπαυσαμένοις γυμνασίοις ἐπίκειται· ἐν ἅπασι γὰρ τὸ τέλειον ἀδύνατον. VOSSIUS *Inſtitut Poet.* L. 1. c. 1. Nullam poeta ſcientiam aſpernabitur: quarundam tamen guſtus ſufficerit, ſaltem in iis partibus, unde ornatus aliquid accedere poemati poſſit.

v. 456. *Sed neque inexpertus rerum* &c.] HORATIUS *de Arte Poet*

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

JAC. PONTANUS *Poet. Inſtit* L. 1. c. 11. Conſultum proinde eſt, non ſubito Iliadas, & gigantomachias captare; argumenta, inquam, operoſa, longa, difficilia: id enim quid aliud fuerit, quam cereis pennis volitare? Res ludicras principio canamus; ipſi quoque culicem noſtrum, aut araneolum, aut formicam, aut batracomyomachiam, aut apologos Æſopicos habeamus.

v. 467. ——— *Ingeniis nam parcere multa*
Fas teneris &c.] QUINTILIANUS L. 2. c. 4. Ne illud quidem quod admoneamus indignum eſt, Ingenia puerorum nimia interim emendationis ſeveritate deficere; nam & deſperant, & dolent, & noviſſime oderunt; &, quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam ruſticis notum eſt, qui frondibus teneris non putant adhibendam eſſe falcem, quia reformidare ferrum videntur, & cicatricem nondum pati poſſe.

v. 474. *Noſtrum igitur ſi forte adeat* &c.] *Idem ib.* Jucundus tum maxime debet eſſe præceptor, ut remedia, quæ alioqui natura ſunt aſpera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponendo aliquod ſui.

g. 486. *Quod ſupereſt etiam moneo*, &c.] MATERNUS *apud Autorem Dialogi de Cauſ. Corrupt. Eloquentiæ.* Inter præ-

cipuos carminum fructus numero, quod nec in ſtrepitu, nec ſedente ante oſtium litigatore, nec inter ſordes & lachrymas reorum componuntur; ſed ſecedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque ſedibus ſacris. JAC. PONTANUS *Poet. Inſtit.* L. 1. c. 12. Illa duo quoque carminibus multo rectius faciliuſque factitandis non mediocre præſtabunt auxilium. Unum eſt mens pacata, mens alia quavis ſollicitudine vacans, angore & perturbatione omni ſoluta prorſus & libera. Latebras etiam amplector, & loca plane ſola: quod item voluit *Ovidius*; animum ſcilicet curis non impeditum;

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Sed illi loci, in quibus eſt ſenſibus blandiens amœnitas, ſylvæ, horti, nemora, ruſcula, ubi frondeſcunt arbores, pubeſcunt vites, ſegetes largiuntur fruges, ubi obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo, tales, inquam, loci poetis aptiores & proprii videntur. Atque *Horatius* tales receſſus in primis adamavit, eoſque poetis frequentandos ſuaſit;

——— me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum ſatyris chori
Secernant populo.

Alibi,

Præter cætera *Romæ* mene poemata cenſes
Scribere poſſe inter tot curas, totque labores?

Et paulo poſt,

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Ovidius proinde ad finem Elegiæ 10. L. 1. veniam a lectoribus petit his verbis;

Quo magis his debes ignoſcere, candide lector,
Si ſpe ſint, ut ſunt, inferiora tua.
Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis,
Nec conſuete meum lectule corpus habes.
Jactor in indomito brumali luce profundo,
Ipſaque cæruleis charta feritur aquis.

v. 515. *Dona Deum Muſæ*: &c.] Abſolutis de educatione præceptis, *Vida* judicio perquam felici ad divinam Muſarum originem, *Geniique* poetarum laudes canendas excurrit, quibus accenſus lectoris animus ad obſervanda,

quæ

quæ ſequentibus libris traduntur, acrius intendatur.

v. 544. *Poſt epulas laudes heroum & facta canentes.*] CICERO *Tuſc. Quæſt.* L. 1. Quanquam eſt in *Originibus* ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. *Idem* in Lib. *de Claris Orat.* Utinam exſtarent illa carmina quæ multis ſeculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantata a ſingulis convivis de clarorum virorum laudibus in *Originibus* ſcriptum reliquit *Cato.* VAL. MAXIMUS L. 2. c. 1. Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera, carmine comprehenſa, pangebant; quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.

v. 547. *Quiſquis es ille, Deus certe!*] Dilecto huic errori e poetis, ante *Vidam*, non pauci indulſerunt, aut videntur indulſiſſe; nec ii tantum, ſed & divinus PLATO, in *Ione* ſic locutus, Πάντες οἱτοὶ τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ, οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι, πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα. Rectius forſitan de hac re FRACASTORIUS in *Naugerio.* Non eſt Deus ullus cauſa furoris hujus, ſed ipſa muſica ingentis cujuſdam atque exultantis admirationis plena, quæ pulſum numeris, velut œſtro impotente concitum, nec ſeſe capientem animum quatit: atque id facit quod & exſtaticis ſolet præ admiratione contingere. Quem ob furorem divinos, quaſi Deo tactos, & Vates poetas dixere; & qui de primis rerum inventoribus tractavere omnes poetarum originem in Deos retulere, *Linum*que & *Orpheum* & antiquiores illos poetas Deorum filios prodidere: quippe cum jure divini dici poetæ mereantur, qui ſoli eam dicendi divinitatem, qua & Dii per oracula ad homines loqui dignati ſunt.

AN-

ANNOTATIONES AD MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM LIBRUM SECUNDUM.

v. 1. *Pergite* Pierides *natæ* Jovis: *en*! &c.] Aptiſſimum hunc exequendæ legis infra v. 26. datæ *Vidæ* locum delegit, ubi difficiliorem operis partem aggreditur, artem materiæ poematis diſponendæ explicaturus.

v. 17. *Veſtibulum ante ipſum*, &c.] JAC. PONTANUS *Poet. Inſtitut.* L. 2. c. 3. Poetæ ſtudio habent auditores lectoreſve ſuos dociles reddere, & attentos: quod conſequimur, ut præcipiunt Rhetores, ſi ſummam cauſæ breviter exponamus: & ſi proponamus quibuſnam de rebus dicturi ſimus.

v. 19. —— *Parcis attingam omnia dictis* &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 2. c. 5. Ut ſimplex, ita etiam brevis eſſe debet propoſitio, quæ rerum faſtigium abſque multitudine verborum attingat. Non enim auditor in propoſitione detinendus eſt verbis, qui, ubi rerum exitum & ſcopum didicit, ad narrationem feſtinat.

v. 20. —— *Simul cœleſtia Divum Auxilia imploram.*] Præceptum hoc ab *Homeri* depromitur exemplo, qui propoſitioni utriuſque poematis invocationem intexuit. *Virgilius* hanc ab illa ſejunxit, quid caneret primo proponens, inde Muſam invocans: unde parvi referre an partes hæ uniantur, necne, ſatis conſtat.

v. 21. —— *Propriis nil viribus auſi.*] PONTANUS *Poet. Inſtit.* L. 2. c. 4. Eſt ea in hominum mentibus impreſſa opinio, nihil arduum ac difficile ſine cœleſti afflatu poſſe perfici: proinde omnes, quibus aliquod eſt cum religione

ligione commercium, ad auxilium divinum, opus laborioſum aggreſſuri, confugiunt. Quod ipſum poetæ dum faciunt, aliorum animos ad benevolentiam alliciunt. Pietas enim eſt amabilis: ut omittam quod invocatione attentionem ſummam admirationemque commovent, perinde ac ſi illa divinitus efferantur.

v. 22. *Quos ores autem non magni denique refert.*] Sæpe poetæ Deos, qui præſunt rebus in opere ſuo memorandis, invocant. Ita in Libris *de Rer. Nat.* **Lucretius**, in *Metam.* **Ovidius**, & in *Georgicis* **Virgilius**. Hic autem & **Homerus** Epico poemati Muſarum invocationem ſuo comprobarunt exemplo melius convenire.

v. 26. *Nec ſat opem implorare ſemel*, &c.] Invocationi locus eſt, quoties poeta novum aliquod aggreditur, ad morem *Virgilii* ſecundam narrationis partem inchoaturi, *Æn.* L. 7. quoties fide majora memorantur, qualis eſt Transformatio *Trojanæ* claſſis in Nymphas, *Æn.* L. 9. & quoties myſteria revelantur, quæ Dii videntur ab hominibus ſedulo occultaſſe, cujus generis eſt quodcunque vidit *Æneas* apud Inferos, *Æn. 6.* Invocandi occaſiones hæ ſunt præcipuæ, non autem ſolæ, ut videre eſt paſſim in *Iliad Odyſſ.* & *Æneid.*

v. 30. *Incipiens odium* &c.] HORATIUS *de Arte Poet.*

Nec ſic incipies ut ſcriptor cyclicus olim,
Fortunam Priami *cantabo & nobile bellum.*

VIPERANUS *de Poet.* Lib. 2. c. 5. Nihil magne ſonandum in propoſitione; non elata verba, non promiſſa grandia, ſine affectata diligentia, ſine ulla ingenii aut doctrinæ venditatione, ut graviter & ornate ſemper inſurgat oratio.

v. 34. *Ne, ſi magna ſones, cum nondum ad prælia ventum,*
Deficias medio irriſus certamine.] Scriptorem cyclicum in hanc culpam incidiſſe, verſibus ſupra laudatos proxime ſequentibus, teſtis eſt HORATIUS,

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Nec *Claudianus de Rapt. Proſerp.* ſpei lectorum mentibus injectæ (judice *Boſſuio de Ep. Poeſ.* L. 3. c. 3.) longe melius reſpondet. Audax jactat in primo limine, *Furorem humanas*

mos e pectore ſenſus expuliſſe, & præcordia totum ſpirare Phœbum &c. Nihilominus terrorum illam abundantem copiam, quæ, tanquam poemati materiam ſuppeditatura, proponitur, libro primo nondum finito, exantlat. Poetarum illi principes *Homerus* & *Virgilius* propoſitionibus utuntur perquam modeſtis: *Statius* autem & *Lucanus* inani verborum pompa, in exordiis, turgeſcunt. Hinc obſervatu dignum eſt, poetas rem canendam tanta cum gloriatione proponentes, vanitate viriumque ſuarum perſuaſione falſa magis tumere, quam certa earum conſcientia niti, & plerumque magnis promiſſis exitum felicem dare non poſſe.

v. 37. *Principiis potius ſemper majora ſequantur.*] HORAT. *de arte Poet.* idem innuit, *Homerum* laudans, quippe qui

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat.

v. 40. *Jam vero cum rem* &c.] Nihil fere in *Odyſſeæ* propoſitione de *Ulyſſis*, ab excidio *Trojæ*, reditu dictum eſt, quod propoſitioni poematis de *Diomedis* reditu non æque conveniret. Eandem Autor *Æneidos* normam ſecutus herois etiam ſui nomen celavit. Modus hic proponendi primam fortaſſe reſpicit inventionem poetæ, qui principio debet actionem nullis diſtinctam nominibus fingere, neque narrat (ſecundum illud *Ariſtotelis Poet.* c. 9.) actionem *Achillis*, *Ulyſſis*, aut *Æneæ*, ſed univerſalis, generalis, & allegoricæ perſonæ. Cum autem in *Iliade* ſecus fecerit *Homerus*, *Achillem* (addito etiam patronymico) nominans, quiſquis hanc legem violaverit illo ſe vindice tueatur. Hæc e *Boſſuii* L. 3. c. 3.

v. 56. *Principio invigilam* &c.] VOSSIUS *Inſtit. Poet.* L. 3. c. 5. Ubique curandum, ut res afferantur novæ, & variæ, inque præſentibus futurorum ſemina adſpergantur: quo ita auditoris animus detineatur, quaſi ſuſpenſus, & ad ſequentia magis feſtinet.

v. 59. *Nec, quacunque viam* &c.] HORATIUS de *Arte Poet.*

Ordinis hæc virtus erit & venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

v. 60. *Plerumque a mediis, arrepto tempore, fari*

Inci-

Incipium,] VIPERANUS *de Poet.* Lib. 2. cap. 6. Nonnulli a mediis rebus ſeu poſtremis exordium narrationis epicos ſumere exiſtimant, ne hiſtoricorum ſimiles eſſe videantur, qui narrationem a ſummis rerum initiis cauſiſque deducunt, ſolum ordinem rerum, temporumque ſervantes, cum poetæ non rerum geſtarum habeant, ſed narrantis perſonæ rationem, ſive ſuam interponant, ſive fingant alienam. JAC. PONTANUS *Poet. Inſtit.* L. 2. c. 5. Videtur itaque, *Virgilii* ſaltem & *Homeri* exemplo, vel a poſtremis vel a mediis ducendum narrationis principium, ſecus quam hiſtorici ſolent, qui a primis initiis & cauſis narrationem ordiuntur, & rerum tantummodo ordinem ac ſeriem intuentur.

v. 61. *Ubi facta vident jam carmine digna.*] VIPER. *de Poet.* L. 2. c. 7. Poeta non unde libet, inconſulto, & temere, & gemino (ut dicam) ab ovo, ſed ab aliqua re illuſtri, & ad fabulam accommodata initium faciet.

v. 74. *Haud ſapiens quiſquam, annales* &c. ARISTOT. *Poet.* c. 23 Θαυμάσιον ἂν φανείη Ὁμήρῳ παρὰ τὰς ἄλλας, τῷ μηδὲ ἃ πόλεμον, καὶ περ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος, ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον· λίαν γὰρ ἂν μέγας, καὶ οὐκ εὐσύνοπτος ἔμελλεν ἔσεσθαι· ἢ τῷ μεγέθει μεμιγμένον καταπεπλεγμένον τῇ ποικιλίᾳ. Νῦν δ' ἓν μέρος ἀπολαβών, ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτῶν πολλοῖς· οἷον, νεῶν καταλόγῳ, καὶ ἄλλοις ἐπεισοδίοις, οἷς ἀμαυροῖ τὸν ποίημα.

v. 84. Aulide *jurantes* Danaos,] Adi *Iliad.* L. 2. v. 303.

—— *Vectaſque per æquor*
Mille rates,] *Il.* L. 2. v. 494.

v. 85. —— *Raptuſque* Helenes,] *Il.* L. 3. v. 443.

—— *Et conjugis iræ.*] *Il.* L. 3. paſſim.

v. 87. *Atque etiam in patriam* &c.] MACROBIUS *Saturnal.* L. 5. c. 2. *Homerus* vitans in poemate hiſtoricorum ſimilitudinem (quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem uſque perducere) ipſe *poetica diſciplina* a rerum medio cœpit, & ad initium poſt reverſus eſt. Ergo *Ulyſſis* errorem non incipit a *Trojano* littore deſcribere, ſed facit eum primo navigantem de inſula *Calypſonis*, & ex perſona ſua perducit ad *Phæacas*. Illic in convivio *Alcinoi* regis narrat ipſe quemadmodum de *Troja* ad *Calypſonem* uſque pervenerit.

v. 91.

v. 91. *Sed jam tum* Ogygiam &c.] *Odyſſ.* L. 1.

v. 93. *Exin poſt varios* &c.] *Odyſſ.* L. 15.

v. 94. —— *Hîc poſtis demum* &c.] *Odyſſ.* L. 9. ad 12. finem.

v. 96. *Ante tamen ſi geſta canam*, &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 2. c. 5. Poſt Muſarum invocationem res propoſita explicanda eſt: ante quam narrationem ſæpe cauſæ quædam vel a prima origine repetuntur, quæ viam ad ipſam narrationem muniant, eamque reddant illuſtriorem: velut ante legitimam narrationem *Virgilius* cauſas odii *Junonis* contra *Trojanos* a capite revocavit. JAC. PONTANUS *Poet. Inſtit.* L. 2. c. 5. Ante narrationem, eſt quando, hiſtoricorum more cauſas quaſdam, quamvis alte & a prima origine, enumeramus, quæ ſimul ad ipſam expoſitionem viam muniant, eamque illuſtrent.

v. 98. *Primus at ille labor* &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 2. c. 7. Hæc profecto magna virtus eſt narrationis, auditoris animum ſuſpenſum tenere, & quaſi captivum ad finem uſque perducere. Non dicet expectata, non rerum exitus opinatos, & dicenda quaſi digito demonſtrans.

v. 100. —— *Quo tandem durus* Achilles
Munere placatus regi &c.] Videſis *Iliad.* L. 19.

v. 102. —— *Cujuſve Dei* Laertius *heros* &c.] *Odyſſ.* L. 9.

v. 113. —— *Certamen* Atridæ
Et Paridis.] *Iliad.* L. 3.

v. 119. *Ipſa procos etiam ut juſſit* &c.] *Odyſſ.* L. 21.

v. 124. *Haud tamen omnino* &c.] VIPER. *de Poet.* L. 2. c. 7. Quantus erit in apparatu rerum futurarum, ut ad illarum cognitionem deſiderium excitet in animis audientium! Quoties apud *Virgilium* navigatio, quoties labores & pericula! quoties bella horrida prædicuntur! ſic ubique rerum futurarum ſemina aſpergit; & in præſentibus auditorem non ingrate remoratur.

v 126. *Sed rerum eventus* &c.] Ita mortem *Hectoris*, *Iliad.* L. 15. v. 612. *Patrocli*, *Il.* L. 16. v. 47. & *Didonis*, non tantum a primo connubii die, *Æn.* L. 4. v. 169. ſed ab *agnoſis veteris flammæ veſtigiis Æneid.* Lib. 4. v. 25. (ubi ſe *nocti profundæ* damnaverat) lectori datur prævidere. Sed exemplorum ſatis congeſſit *Vida.*

v. 129.

v. 129. *Hinc pater* Æneam *&c.*] *Æneam* de bellis ab ipso in *Italia* gerendis monet *Anchises*, *Æn.* L. 6. v. 890. *Helenus*, *Æn.* L. 3. v. 458. Sibylla, *Æn.* L. 6. v. 86. qui locus hic præcipue respicitur.

v. 137. *Occiso, ante alios qui* &c.] *Æn* L. 7. v. 531.

v. 138. *Fata* Menœtiades &c.] *Iliad.* L. 16. v. 851.

v. 142. —— *Cum crebro obscœna volucris* &c.] *Æn* Lib. 12. v. 865.

v. 145. *Hinc tibi tempus erit* &c.] *Æn* L. 10. v. 503.

v. 166. *Sæpe vides primis ut quidam* &c.] Ob niniam in descriptionibus minus necessariis prolixitatem ante alios *Homerus* (ut ex sequentibus patet) reprehenditur.

v. 176. *Nam quid opus gemmis* &c.] Innuitur illa currus *Junonii* descriptio *Il.* L. 5. v. 722.

v. 179, *Nec siquem indecoremque* &c.] Alludit poeta ad *Iliad.* L. 2. v. 212. ubi depingitur *Thersites*.

v. 186. *Aptior* Ausonius Drances *&c.*] De *Drance* (utpote minoris notæ persona) *Æn.* L. 11. v. 336. perpaucis *Virgilius* præfatur, antequam ipsum loquentem inducat.

v. 191. *Quid tibi nonnullas artes* &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 1. c. 10. Episodia quæ loco non adhibentur, non modo rem non exornant, sed deturpant etiam, & obscœcant; cujusmodi sunt ad eruditionem quandam juveniliter ostentandam (id quod in *Lucano* plerique damnarunt) curiosius quædam de reconditis rebus & obscuris exquisitæ disputationes; quæ, per se licet pulchræ sint, & admiratione aliqua etiam dignæ, non minus tamen quam purpureus ille pannus *Horatianus*, ab omnibus irridentur. De hac re videndus est etiam *Scaliger Poet.* L. 3. c. 26. & *Bossuius de Ep. Poes.* L. 6. c. 6.

v. 215. *Cur pater* Anchises *natum* &c.] *Æn.* L. 6. v. 713. Doctrinam de immortalitate animæ *Virgilium* prudenter huc retulisse judicat *Bossuius de Ep. Poes.* L. 6. c. 6. & *Scaliger Poet.* L. 3. c. 6. Quæ *Virgilius* de anima disputat (inquit) & scite dicuntur ex *Platonicis*, & apte ibi collocata sunt. Nam & *Æneæ* interroganti deque re difficillima, atque etiam nunc vel ignota vel maxime controversa dubitanti, & inter animas, & in loco animis attributo, & ab una animarum disseruntur.

v. 220. *Quandoquidem, ut varium sit opus* &c.] VOSSIUS *Institut. Poet.* L. 1. c. 4. Episodiis & digressionibus narratio dilatari debet, ut amplior sit, & varietate magis delectet.

v. 225. —— *Nec positis insit violentia rebus.*] *Id. ib.* Episodia non debent esse longe accersita, vel affectata, sed fabulæ cognata.

v. 227. —— *Cunctaque potens labor occultat artem.*] LONGINUS περὶ Ὕψους, c. 20. Τότε ἡ τέχνη τέλειον, ὅταν ὡς φύσις φαίνηται.

v. 228. *Sic olim Æneæ venturi* &c.] *Æn.* L. 8. v. 626.

v. 232. *Tum si quis* Latio *cretus* &c.] *Georgic* L. 2. v. 136.

v. 239. *Quare etiam, egregii vates,* &c.] Hujusmodi digressiones poemati didactico sunt propriæ; cui quantum venustatis ab iis accedat, testem *Virgilium* appellat *Vida*, nos *Vidam*; qui legem hanc suo feliciter exemplo illustravit, singulos *Poeticorum*, *Bombycumque* Libros digressione claudens elegantissima.

v. 244. *Addubitem flere extincti* &c.] *Georg.* L. 1. v. 466.

v. 245. —— *Aut ruris laudare quietem* &c.] *Georg.* Lib. 2. v. 458.

v. 254. *Tristis* Aristæi *quæstus* &c.] *Georg.* L. 4. v. 317.

v. 262. *Aut* Ligurum *regi* &c.] *Æn.* L. 10. v. 185.

v. 265. *Aut rursum* Hippolytum &c.] *Æn.* L. 7. v. 765.

v. 268. —— *Atque* Hercule *pulchro* &c.] *Æn.* L. 7. v. 656.

v. 278. *Sæpe tamen memorandum* &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 1. c. 15. Illæ sententiæ, quæ sunt celebria quædam dicta, poesin quasi luminibus illustrant: quas qui damnant, poematis ornatum & splendorem non vident; qui frequentius utuntur, non plurimum sæpe commendantur: non enim coagmentandæ, sed, tanquam gemmæ, disponendæ, & annectendæ sunt. De hac re consule *Bossuium de Ep. Poes.* L. 6. c. 4. 5. & 6.

v. 284. *Aut apibus* Tyrios, *aut* Troja *ex urbe profectos Formicis* &c.] Comparationem illam adeas *Æn.* L. 1. v. 434, hanc autem *Æn.* L. 4. v. 402.

v. 286. *Sed non* Ausonii *recte* &c.] In his & proxime sequentibus *Virgilii* judicium tacite laudatur, qui nullas *Æneidi* comparationes immiscuit nisi quæ Epopœiæ dignitati re-

teſpondent. *Homerus* interea notatur, quaſi qui de Ideæ in comparationibus venuſtate ſit paulo ſecurior. Exercitus muſcis bis comparatur in *Iliade*, ſcil. L. 2. v. 469. & L. 16. v. 641.

v. 290. *Nec dictis erit ullus* &c.] *Ajacis* ad aſinum comparatio adeunda eſt in *Iliad.* L. 11. v. 557. quam *Boſſuius de Ep. Poeſ.* L. 6. c. 3. & *Dacierius* in Annot. 38. ad *Ariſtotelis Poet.* c. 26. acriter defendunt. Aſinus (inquiunt) cum ſcriberetur *Ilias*, non inter ignobiliora animalia numerabatur; nec eum conſcendere reges dedignabantur. *Homerum* igitur iniquo damnatum judicio cenſent, quia quænam in honore vel contemptu futuris eſſent ſeculis minime potuerit prævidere. Nihilominus hujuſmodi comparationes nequaquam imitandas eſſe bene præcipit *Vida*, non tam quid in *Homero* culpandum, quam quid ſcriptoribus hodiernis vitandum ſit, indicans.

v. 301. *Aptius hanc ſpeciem referet leo* &c.] Ad quem comparatur *Turnus Æn.* 9. v. 792.

v. 304. *Hoc quoque non ſtudiis nobis levioribus inſtat* &c.] Idem tradit hic præceptum *Vidæ*, quod ARISTOTELES *Poet.* c. 25. ubi, Αἰρετώτερον (inquit) πιθανὸν ἀδύνατον, ἢ ἀπίθανον τὰ δυνατά. In *Glauci* cum *Diomede* dialogo datur exemplum ἀπίθανου ἐ δυνατῦ, in transformatione claſſis in Nymphas, &c. πιθανῦ καὶ ἀδυνάτου, HORAT. *de Arte Poet.*

Ficta voluptatis cauſa ſint proxima veris,
Nec quodcunque volet poſcat ſibi fabula credi.

PONTANUS *Poet. Inſtitut.* L. 2. c. 7. Quam neceſſarium ſit narrare veriſimiliter, quis ignorat? ſiquidem poetæ officium eſt, non tam quæ facta ſunt, quam quæ fieri potuerunt, exponere. Si igitur narratio illius vera non eſt, nihil peccavit: ſi non eſt veriſimilis, hoc eſt ſi male imitatur, nomen ſuum amittit.

v. 315. *Nam quæ multa canunt ficta* &c.] Quæ fidem humanam exſuperant, fiunt tamen poetice veriſimilia, modo Deorum cujuſpiam interventu peragantur, aut quicquam è naturalis vel moralis philoſophiæ ſacrario depromptum allegorice exhibeant.

v. 320. *Idcirco ſolis perhibent* &c.] *Odyſſ.* L. 12. v. 395.

v. 322. *Ut nimus acris equos* &c.] *Achillis* equi *Patroclum* deſient, *Il.* L. 17. v. 426, eorumque alter, *Xanthus* Achilli mortem vaticinatur, *Il.* L. 19. v. 409.

v. 323. *Verbaque veliferas roſtris fudiſſe carinas.*] *Æn.* L. 10. v. 228.

v. 324. *Omnia quæ porta venium inſomnia eburna.*] i. e. Veritati prorſus repugnantia. Alludit poeta ad fabulam de geminis Somni portis, *Odyſſ.* L. 19. v. 562. & *Æn.* L. 6. v. 893. Earum altera fingitur eſſe cornea, unde veris ſomniis, altera eburna, unde falſis datur exitus.

v. 329. *Nam tibi non referem ſemel illi ſomnia* Atridæ.] *Il.* L. 2. ſub initium.

v. 332. *Ipſe iterum* Æacides *niſi* &c.] *Il.* L. 1. v. 370.

v. 335. —— *Eadem mox carmine eodem*
Miſſi oratores repetunt, nihil ordine verſo.] Ita *Ulyſſes* ad *Achillem* miſſus *Il.* L. 9. v. 264.

v. 337. *Non ſic* Auſonius Venulus &c.] *Æn.* L. 11. v. 243.

v. 344. —— *Viæ tibi mille trahendi* &c.] ARISTOTELES *Poet.* c. 24. Ἔχει δὲ τὸ ἐπικτείνειν τὸ μέγεθος πολύ τι ἡ ἐποποιία ἴδιον. & poſtea, Ἐν μὲν τῇ ἐποποιίᾳ, διὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς εἶναι, ἐπὶ πολλὰ μέρη ἄρχει ποιεῖν πραγμάτων, ὑφ' ὧν οἰκείων ὄντων αὔξεται ὁ τῆς ποιήσεως ὄγκος. Ὡς τε τοῦτ' ἔχει τὸ ἀγαθὸν εἰς μεγαλοπρέπειαν, καὶ τὸ μεταβάλλειν τὸν ἀκούοντα, καὶ ἐπεισοδίων ἀνομοίων ἐπεισοδίους. VIPERANUS *de Poetica* L. 2. c. 4. Epopœia, cui aut nullum temporis ſpatium, aut ſatis longum ad imitandum definitur, pluribus epiſodiis amplificanda eſt; ne, ſi nullis digreſſionibus dilatetur, ſterilis & inornata ſit, omnis leporis & venuſtatis expers, quam epiſodiorum varietas maxime affert. Ideo gravioribus perſonis tenuiores admiſcet, milites, nautas, fabros, aurigas; adhibetque Deorum concilia, quorum providentia res humanæ gubernantur; & res attingens univerſas, quæque in terris fiunt, quæque in cœlis eſſe intelliguntur, tum multa rerum copia, tum amœna varietate diſtinguitur.

v. 345. —— *Ficta potes multa addere veris.*

v. 347. *Nonne vides ut noſtra Deos in prælia ducant,* &c.] In epico poemate fictionem, & Deorum perſonas neceſſarias eſſe docet PETRONIUS. Non (inquit) res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, (quod longe melius hiſtorici

ſtorici faciunt) ſed per ambages Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides.

v. 348. *Hos* Teucris, *alios* Danais *&c.*] *Il.* L. 5.

v. 350. *Concilium vocet &c.*] *Il.* Lib. 8. ſub initium.

v. 353. *Addunt infernaſque domos* &c.] *Odyſſ.* L. 11. & *Æn.* L. 6.

v. 355. *Tum volucrum captant* &c.] *Æn.* L. 1. v. 397. & L. 12. v. 247.

v. 356. *Sæpe etiam hoſpitibus* &c.] *Odyſſ.* L. 8. & *Æn.* L. 1.

v. 359. *Nunc ludos celebrant* &c.] *Il.* L. 23. & *Æn.* L. 5.

v. 363. *Aut magni* Alcidæ *&c.*] *Æn.* L. 8.

v. 369. *Seu dicenda feri* &c.] Reſpicitur *Virgiliana* procellæ deſcriptio *Æn.* L. 1.

v. 372. *Sive coorta repente lues* &c.] *Æn.* L. 3. v. 137.

v. 373. —— *Sive* Sicana *Dicendum* &c.] *Æn.* 3. v. 571.

v. 380. *Non tantum ut dici videantur, ſed fieri res, Unde ipſis nomen* Graii *fecere poetis*] *Vida* bene innuit vocem Ποιητὴς deduci a ποιῶ, & id nomen carminum ſcriptoribus inditum eſſe, ob deſcriptiones rerum, quibus præcelluerunt, adeo vividas, ὥστε μᾶλλον ὁρᾶν δοκεῖν γινόμενα τὰ πραγμένα ἢ λογίῳ ἀκούειν, ut ait (hanc laudem *Homero* tribuens) *Dion. Halicarn. de Struct. Orat.* Sect. 20. Hac vocis etymologia nihil apertius; alii favet (ſed perperam) *Suetonius*; Ejus verba (quæ ex opere *de Poetis* citat *Iſidorus Orig.* L. 8. c. 7.) ſequuntur. Cum primum homines, exuta feritate, rationem vitæ habere cœpiſſent, ſeque ac Deos ſuos noſſe, cultum modicum, ac ſermonem neceſſarium commenti ſibi, utriuſque magnificentiam ad religionem Deorum ſuorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora, & ſimulachra corporibus ampliora faciebant; ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos putaverunt, laudeſque eorum & verbis illuſtrioribus & jucundioribus numeris extulerunt. Id genus, quia forma quædam efficitur, quæ ποίησις dicitur, poema vocitatum eſt, ejuſque fictores poetæ.

v. 384. *Quis quoque cum captos* &c.] *Æneid* L. 2.

v. 395. *Quid cum animis ſacer eſt furor additus*, &c.] ARISTOT. *Poet.* c. 17. Εὐφυοῦς ἢ πομητικὸ ἦσιν, ἢ μανικοῦ.

v. 404. *Dii potius noſtris* &c.] Vide Annot. ad L. 1. v. 547.

v. 405. —— *Felixque ideo qui tempora quivis* &c.] SENECA *de Tranquil. Animi*, c. 15. Non poteſt grande aliquid, & ſupra cæteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquod cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam & in arduo poſitum contingere, quamdiu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet a ſolito, & efferatur; & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere.

423. *Quidam autem inventus* &c.] JAC. PONTANUS *Inſt. Poet.* L. 1. c. 12. Commendantur, qui cum nunquam non ſtudioſe attenteque, tum ſub illud tempus longe ſtudioſius attentiuſque veteres poetas legunt, quo ſunt carmina ſcripturi: ibi inſtar apum floriferis in ſaltibus omnia libant, & electiſſima quæque depaſcuntur. Adde quod lectione illa diligenti decantatiſſimus ille furor excitatur, animuſque noſter quaſdam ideas, ſpecies, formas, exemplaria, aut quocunque tandem nomine vocare malumus, concipit longe præclariſſima atque pulchertima, quæ deinde rebus ad ſcribendum ſubjectis conatur imprimere.

429. —— *Deus, ecce! Deus* &c.] Verſuum proxime ſequentium præceps celeritas optime materiæ ſubjectæ convenit, atque hic eodem plane furore, quem tam venuſte depingit, Poeta videtur incaleſcere.

v. 441. *Sæpe etiam in ſomnis memores* &c.] LILIUS GYRALDUS *de Poet. Hiſt. Dialog.* 3. Illud tamen mihi magis mirandum videtur, quod eſt a *Syneſio* proditum, per ſomnum poſſe etiam aliquem poetam fieri, idque per ſua tempora contigiſſe affirmat. Idem ait & *Plutarchus* de *Socrate*, quem per inſomnia quædam, poeticæ aptum inventum ſcribit. Sed & *Artemidorus* libro Ονειροκριτικῶν 3. c. 25. ait ſe noviſſe quendam, qui, cum ſomniaſſet ſe ſiniſtra ſcribere, evaſerit in poetam Γιλοίων Ασμάτων, hoc eſt, *Poematum Ridiculorum*: quibus ego quantum hac parte credam non facile dixerim, niſi id fortaſſis ipſi ſenſerint quod de vati-

vaticiniis, quæ per ſomnia fiunt, *Abamon Ægyptius* ad *Porphyrium* ediſſerit: vel id potius quod ſoleant in ſomnis aliquando poetæ verſus facere: id quod ipſe non abnuerim, cum ſibi id accidiſſe, vir & notæ probitatis & fidei, *M.* magiſter meus olim mihi, nec ſemel, affirmarit, eoſque ipſos, quos feciſſet, verſus recitarit: quod poſtea & aliis contigiſſe & audivi, & legi.

v. 445. *Ne tamen ah! nimium, puer,* &c.] QUINTIL. L. 10. c. 3. Tum maxime cum facultas illa contigerit, reſiſtamus, ut provideamus, & ferocientes equos frænis quibuſdam coerceamus; quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. J. PONTAN. *Poet. Inſt.* L. I. c. II. Ne primo illo impetu, qui plerumque vehemens, nec ſatis conſideratus eſt, nos abripi ſinamus: neve extemplo, ut læta tempeſtas adblandita fuerit, ventis vela committamus. Quin prius, aciem animi circumferentes, ipſum argumentum, illiuſque partes, quam accuratiſſime expendamus, uſque dum ardor ille repentinus atque igneus aliquantulum deferveſcat.

v. 455. *Præterea haud lateat te, nil conærier artem Naturam niſi ut aſſimulet* &c.] ARISTOT. *Poet.* c. 1. Ἐποποιΐα τε ἡ τραγῳδία ποίησις, ἡ δὲ κωμῳδία, πᾶσαι συγχείσονται ἔσται μιμήσεις τὸ σύνολον.

v. 457. *Hanc unam vates ſibi* &c.] QUINTIL. L. 8. c. 3. Naturam intueamur, hanc ſequamur: id facillime accipiunt animi, quod agnoſcunt.

v. 459. *Hinc varios moreſque hominum* &c.] HORAT. *de Arte Poet.*

Reſpicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.

v. 460. *Aut ſtudia imparibus diverſa* &c.] *Idem ibid.*

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

v. 462. *Quæ tardoſque ſenes doceant, juveneſque* &c.] *Idem ibid.*

Intererit multum Divuſne loquatur, an heros,
Maturuſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens, an ſedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli,

Col-

Colchus, an *Aſſyrius*, *Thebis* nutritus, an *Argis*.

v. 468. *Et quoniam in noſtro* &c.] ARISTOTELES *Poet.* c. 15. Χρὴ δ' ἐν τοῖς ἤθεσιν ὁμοίως ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκὸς· ὥστε τὸν τοιοῦτον τι τοιοῦδε λέγειν, ἢ πράττειν, ἢ ἀναγκαῖον, ἢ εἰκός.

v. 472. *Semper enim ſummus Divum pater*, &c.] Expreſſus eſt hic locus ex *Æneid.* L. 10. initio.

v. 480. *Nulla mora in* Turno, *&c.*] *Æn.* L. 12. v. 9.

v. 489. *Sæviet, & tota paſſim* &c.] *Æn.* L. 4. v. 300.

v. 493. —— *Excepit* Teucros *quæ nuper egentes*, &c.] *Æn.* L. 1. v. 561.

v. 496. *Nec te oratores pigeat*, &c.] ARISTOT. *Poet.* c. 29. Δῆλον δ', ὅτι ἐν τοῖς πράγμασιν δεῖ τὰ αὐτῶν εἰδῶν δεῖ χρῆσθαι, οἷον ἢ ἱλαρὰ, ἢ δεινὰ, ἢ μιγάλα, ἢ εἰκότα δεῖ πειρᾶσθαι ποιεῖν.

v. 497. —— Sinon Phrygios *quo*, &c.] *Æn.* L. 2. v. 77.

v. 499. *Quove tenere queat* &c.] *Iliad.* L. 2. v. 190. & 284.

v. 501. *Quid tibi nunc dulcem* &c.] *Iliad* L. 1. v. 246.

v. 505. *Artibus his certe* Cytherea &c.] *Æn.* L. 8. v. 370.

v. 514. *Affectus implet tacita dulcedine mentes.*] Hoc poetæ faciendum eſſe jubet HORATIUS *de Arte Poet.*

Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata; dulcia ſunto,
Et quocunque volunt animum auditoris agunto.

v. 515. *Quem non* Threicii *quondam* &c.] *Georg.* 4. v. 464.

v. 519. *Quid? puer* Euryalus *cum* &c.] *Æn.* 9. v. 433.

v. 526. *Poſtremo tibi ſiqua inſtant* &c.] VIPERANUS *de Poet.* L. 2. c. 4. Si quid fabulæ conſtitutio ſecum interim afferat turpitudinis, vel leviter illam tanget, vel diſſimulabit acute, vel ſapienter obſcurabit: neque, dum vitia reprehendit, obſcœnis vocibus utatur, quæ memoria voluptatum animum turpiter afficiant. Quid enim turpius? Quid indignius eſt homine gravi impudica oratione? Ac certe parum ſapit, qui *Virgilium* tanquam nimis caſtum notavit. LUD. CARBO *de Eloc. Orat.* L. 1. c. 3. Si de rebus obſcœnis loquendum erit, periphraſi, vel honeſta deſcriptione utemur. *Et poſtea.* Rurſus turpia præteritione attingi poſſunt.

v. 531. *Speluncam* Dido, *dux & &c.*] *Æn.* L. 4. v. 165.

v. 535. *Neve aliis, impar nimium, ne* Troilus *&c.*] *Æn.* L. 1. v. 474. in quem locum *Servii* annotatio ſenſum *Vi-*

da

dæ explicabit. Veritas (inquit) hoc habet, *Troili* amore *Achillem* ductum palumbes ei, quibus ille delectabatur, objeciſſe: quas cum vellet tenere, captus ab *Achille*, in ejus amplexibus periit. Sed hoc, quaſi indignum heroo carmine, mutavit poeta.

v. 555. *Dii* Romæ *indigetes* &c.] Digreſſionis hujus initium conformatur ad imaginem *Virgilianæ* illius, *Georg.* L. 1. v. 498.

v. 564. *Tanta* Italos *inter crevit diſcordia reges.*] Bello inter *Carolum* V. Cæſarem *Franciſcum*que I. *Franciæ* regem flagrante, poſt *Leonis* X. mortem, miſerrime civilibus armis *Italia* vexabatur. Graviſſimas *Inſubria*, *Neapolis*, *Parma* & *Placentia* furoris bellici miſerias ſubibant. Nec ipſam ſua ſanctitas tuebatur *Romam*, quin & ibi, Anno a partu Virginis MDXXVII, obſeſſo in *Adriani* Mauſoleo *Clemente* VII. Pontifice, incredibili rabie, nulla vel ætatis vel ſexus habita ratione, ſævitum eſſet. Sub idem tempus *Europæ* imperium ſollicite affectabant *Turcæ*, quibus aditus ad *Italiæ* victoriam principum diſſidiis apertior eſt redditus. *Jovius* Hiſt. L. 23. *Thuanus* Hiſt. Lib. 1. *Sleidanus De Stat. Rel.* &c. Lib. 6.

v. 577. —— *Germano fretus* Julo &c.] *Juli* nomine intelligitur *Julius Medicis*, qui, *Adriano* VI. mortuo, A. D. MDXXIII. Pontifex creatus *Clementis* VII. nomen aſſumpſit. Hunc tanta apud *Leonem* X. patruelem ſuum gratia valuiſſe refert (in *Leonis* Vita) *Ciaconius*, ut, illo inconſulto, nec quicquam moliri, nec aliquid pene mente concipere *Leo* auſus eſſet, quaſi turpi piaculo duceret quicquam *Julio* inauſpicato peragere.

v. 584. —— *In* Turcas *arma parantem.*] *Selymus*, *Turcarum* Imperator, poſt ingentes in Oriente victorias, *Ægypto Syria*que domitis, in *Chriſtianos* arma verſurus videbatur. Totius igitur *Europæ* principes *Leo* per legatos vehementer cohortatus eſt, ut publicæ memores ſalutis privata deponerent odia, belſumque impotenti barbaro, viribus conſociatis, inferrent. Hæc autem perquam laudanda conſilia mors autoris ſui penitus extinxit, gladiis in pejores uſus diſtrictis. *Thuan. Hiſt.* L. 1. *Jovius* in *Leonis* Vit. L. 4. *Ciaconius*, *Onuphrius*, &c. in Vit. Pontif.

v. 603.

v. 603. *Egregius moriens heros ſecum omnia vertit.*] Princeps hic inſigniſſimus primo die *Decembris* A. D. MDXXI. ætatis autem XLVII. (veneno, ut quidam ſuſpicati ſunt, poculis indito, ſublatus) morti ceſſit. Quantum, & quam merito infelici patriæ diu fuerit deſideratus, neſcio an pulchrius, an fidelius, ſub ejus Vitæ finem, his verbis enarrat P. JOVIUS. Poetæ, gratiſſimum atque liberrimum hominum genus, per aliquot annos, deplorata conditione temporum, & congeſtis in *Leonem* laudibus, certatim carminibus adfixis tumulum nobilitarunt. Et nos quoque pari ſtudio, & pietate, conſcribendæ ejus vitæ munus ſuſcepimus, ut, poſtquam ſumptuoſa condere pro fortuna noſtra non licuit, ab exiguo certe, ſed eo fortaſſe immortali, liberalis ingenii monumento, juſta & ſolennia ſanctiſſimo cineri ſolverentur. Et tum profecto non inepte, quum jampridem extinctus princeps, inter tot accumulatas clades, quæ poſtea inciderunt, veluti quotidie renovato funere, veriſſimis totius populi lachrymis efferretur. Quippe tum decedente invidia, præclariſſime, ut in publica urbis & totius *Italiæ* clamitate, *Leonis* virtus enituit. Hæc enim haud dubie, ad ſalutem humani generis, auream ætatem condiderat, quum nos ſtatim ab optimi principis exceſſu vere ferream pateremur. Adeo ut, quum fatali errore noſtro barbara vis cædes, cruciatus, peſtilentiam, famem, vaſtitatem, & dira malorum omnium incommoda nobis attuliſſet, literæ in primis, eximiæque artes, communis item ſalus, & publica hilaritas, & denique bona omnia, tanquam eodem ſepulchro cum *Leone* condita, lugerentur.

AN-

ANNOTATIONES AD MARCI HIERONYMI VIDÆ POETICORUM LIBRUM TERTIUM.

v. 16. *NAM neque (ſi tantum fas credere) deſuit* &c.] Notatur *Lycophron*, aut *Perſius*.

v. 20. *Ille ego ſim, cui* Pierides &c.] ARIST. *Rhet.* L. 3. c. 2. Ωφέλιμον λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι· σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν μὴ δηλοῖ, ἀ ποιήσῃ τὸ ἑαυτῆ ἔργον. *Idem Poet.* c 22. Λέξεως ἀρετὴ, σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. DEMET. PHALEREUS *de Eloc.* Sect. 195. Μάλιστα σαφῆ χρὴ τὸν λόγον εἶναι. QUINT. L. 2. c. 3. Prima eſt eloquentiæ virtus perſpicuitas.

v. 35. *Nunc hanc, nunc aliam* &c.] DIONYSIUS HALIC. *de Struct. Orat.* Sect. 12. Διαφαίνων τι καὶ ποικιλότητα φημὶ δεῖν μεταβολὰς εὐκαίρους εἰσφέρουσα· καὶ γὰρ ἡ μεταβολὴ πάντως ἔργον χρήσιμον ἐστί.

v. 37. *Nempe inde illectas aures* &c.] *Idem* Sect. 19. Οὐ ἥδιστον δὲ λόγοις ἡ μεταβολὴ, παύουσα εὐθὺς πιθανῶς.

v. 39. *Ergo omnem curam* &c.] ERASMUS *de copia Verb.* c. 9. Tantam ubique vim habet varietas, ut nihil omnino tam nitidum ſit, quod non ſqualere videatur circa hujus commendationem. Gaudet vel ipſa natura vel in primis varietate, quæ in tam immenſa rerum turba nihil uſquam reliquit, quod non admirabili quodam varietatis artificio depinxerit.

v. 44. *Nonne vides, verbis ut veris* &c.] De metaphoris ſic ARISTOT. *Poet.* c. 22. Ἐστι δὲ μέγα μὲν τὸ ἐκφέρειν τὴν ἁρμόττουσαν πιθανότητας ἔχοντας, καὶ διπλοῖς ὀνόμασι, καὶ γλώττῃσιν. Τὸ δὲ μέγιστον τὸ μεταφορικὸν εἶναι. Μόνον γὰρ τοῦτο οὔτε παρ' ἄλλου ἐστὶ λαβεῖν, εὐφυΐας τε σημεῖόν ἐστι, τὸ γὰρ εὖ μεταφέρειν, τὸ ὅμοιον θεωρεῖν ἐστι.

v. 61.

v. 61. *Tum ſpecie capti gaudent ſpectare legentes*] CICERO *de Oratore* L. 3. c. 39. Atque hoc in genere perſæpe mihi admirandum videtur, quid ſit, quod omnes tranſlatis, & alienis magis delectentur, quam propriis & ſuis.

v. 62. *Nam diverſa ſimul datur* &c.] QUINT. Lib. 8. c. 6. *Tranſlatio* variare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, vel contra.

v. 73. *Res humiles ille* &c.] ARIST. *Poet.* c. 22. Σεμνὴ μὲν οὖν λέξις, ἡ ἐξαλλάττουσα τὸ ἰδιωτικὸν, ἡ τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη. Ξενικὸν δὲ λέγω, γλῶτταν, καὶ ἐπικτασιν, καὶ πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον. DEMET. PHALEREUS *de Eloc.* Sect. 194. Τὸ ἀσύνηθες, καὶ μετενηνεγμένον, μεγαλοπρεπές. *Cicero de Oratore* Lib. 3. c. 43. Verbum tranſlatum maxime, tanquam ſtellis quibuſdam, notat, & illuminat orationem.

v. 80. *Illæ etenim* Jovis *æthera* &c.) Muſas inter Deorum epulas alternis canere fingit *Homerus* ſub *Il.* L. 1. finem,

—— Οὐδ' ἄρα μοῦσ' ἐδεήθη ἀείδειν ἱείσας,
Οὔτε φόρμιγγος ἐρικυδέος, ἥ τ' ἔχ' Ἀπόλλων,
Μουσάων θ', αἱ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ.

v. 84. *Nec tamen haud ſolis* &c.] ARIST. *Rhet.* L. 3. c. 2. Πάντες μεταφοραῖς ἀγαλλόμενοι.

v. 94. *Hanc vulgo ſpeciem propriæ penuria* &c.] CICERO *de Oratore* Lib. 3. c. 38. Tertius ille modus tranferendi verbi late patet, quem neceſſitas genuit, inopia coacta & anguſtiis; poſt autem delectatio, jucunditaſque celebravit. Nam ut veſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic verbi tranſlatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes,* etiam ruſtici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio poteſt, id tranſlato cum eſt dictum, illuſtrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo poſuimus, ſimilitudo.

v. 106. *Parcius iſta tamen delibant* &c.] QUINT. L. 8. c. 6. In illo plurimum erroris, quod ea, quæ poetis (qui & omnia ad voluptatem referunt, & plurima vertere etiam metri neceſſitate coguntur) permiſſa ſunt, convenire quidam etiam proſæ putant. *Idem* L. 10. c. 1. Meminerimus tamen

tamen non per omnia poetas eſſe oratori ſequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum; totum illud ſtudiorum genus oſtentationi comparatum; præter id quod ſolam petit voluptatem, eamque fingendo non falſa ſolum, ſed incredibilia, ſectatur; patrocinio quoque aliquo juvari, quod alligati ad certam pedum neceſſitatem, non ſemper propriis uti poſſint, ſed, depulſi a recta via, neceſſario ad eloquendi quædam diverticula confugiant.

v. 113. *Libertate palam gaudent* &c.] ARISTOT. *Poet.* c. 25. Πολλὰ παῤῥησίᾳ τ' λέξεως· διόπερ γδ ταῦτα ποιηταῖς.

v. 116. *Crebrius hi fando* &c.] De *Hyperboles* uſu QUINT. L. 8. c. 6. Tum eſt *Hyperbole* virtus cum res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum eſt, non poteſt: meliuſque ultra, quam citra ſtat oratio.

v. 121. *O pater! ô patria! ô* Priami *domus!*] Hæc verba ex incerti nominis poeta bis citat *Cicero*, ſcil. *Tuſcul. Quæſt.* L. 3. c. 19. & *de Orat.* L. 3. c. 58. Sententia huic non adeo diſſimili uſus eſt *Virgilius*, *Æn.* 2. v. 241.

O Patria! ô Divum domus *Ilium*! & inclyta bello
Mœnia *Dardanidum*!

Et *Plautus*, *Bacchid.* Act 4. Sc. 9.

O *Troja*! ô patria! ô *Pergamum*! ô *Priame* periiſti ſenex! Quorum veſtigiis inſtitit *Silius* L. 1. v. 589.

O Patria! ô fidei domus inclyta! Quo tua nunc ſunt
Fata loco!

v. 123. *Quid cum* Neptunum *dicunt mare* &c.] CICERO *de Orat.* L. 3. c. 167. Gravis eſt modus in ornatu orationis, & ſæpe ſumendus: ex quo genere hæc ſunt; *Martem belli eſſe communem*; *Cererem* pro frugibus, *Liberum* appellare pro vino; *Neptunum* pro mari; *curiam* pro ſenatu; *campum* pro comitiis; *togam* pro pace; *arma* ac *tela* pro bello.

v. 127. Africa *terribili tremit horrida terra tumultu*] Verſus hic *Ennio* tribuitur a *Cicerone Orat.* c. 7. iterumque ab eodem laudatur L. 3. c. 47. *de Orat.* ubi notatum eſt *illam traductionem, atque immutationem, non in verbo quandam fabricationem habere, ſed in oratione.*

v. 128. *Nec deerit tibi pro fluviis* &c.] Adiſis *Macrobium Saturnal.* L. 5. c. 18. de ea re fuſe differentem.

v. 139. *Egregia interea conjux* &c.] *Æn.* L. 6. v. 523.

v. 141. *Nec minus inſignis* Drances *&c.*] *Æn.* L. 11. v. 142.

v. 143. *Quid ſequar ulterius* &c.] DEMET. PHAL. *de Eloc.* Sect. 103. Ἐκ διλογίας γίνεται μέγεθος.

v. 146. Pan *etiam* Arcadia *neget hoc* &c.] Expreſſus eſt hic verſus cum ſequenti e *Virg. Eclog.* 4.

v. 152. *Ne nimiam oſtendas quærendo talia curam.*] CICERO *de Oratore* Lib. 3. c. 41. Verecunda debet eſſe tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe videatur.

v. 156. *Haud magis imprudens* &c.] DEMET. PHAL. *de Eloc.* Sect. 114. Πρᾶγμα μικρὸν ὂν ὑπερβάλλειν ὄγκῳ τοσοῦτον λέξεως. LONGINUS περὶ Ὕψους c. 28. Τοῖς μικροῖς πράγμασιν ἐπιθήσειν μεγάλα ἢ σμικρὰ ἰσόμεγεθα ταυτὸν ἂν φαίνοιτο ὡς εἴ τις σχήματι ἐπισκοπεῖον μέγα παιδὶ περιθείη νηπίῳ. CICERO *de Oratore* Lib. 3. c. 41. Nolo [ſimile] eſſe aut majus quam res poſtulat; *tempeſtas comiſſationis*: aut minus; *comiſſatio* tempeſtatis.

v. 160. *Præſtiteris vero faciem ſpolia* &c.] CICERO *Orat.* c. 23. Quædam etiam negligentia eſt diligens. Nam ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipſum deceat; ſic hæc ſubtilis oratio etiam incomta delectat. Fit enim quiddam in utroque, quo ſit venuſtius, non autem appareat. QUINT. L. 8. c. 6. Ut modicus atque opportunus [metaphorarum] uſus illuſtrat orationem: ita frequens & obſcurat, & tædio complet. *Idem ib.* Sed & copia quoque modum egreſſa vitioſa eſt.

v. 163. *Res etiam poteris rebus* &c.] De figura, cujus uſus hic commendatur, (quæ a *Græcis* Εἰκὼν, ab *Horatio* L. 1. Ep. 7. v. 34. Imago dicitur) vide *Ariſtotelis Rhet.* L. 3. c. 4.

v. 171. —— *Nam nec ſunt omnia verſibus apta* &c.] ARISTOT. *Rhet.* L. 3. c. 2. Ετέρα λόγου καὶ ποιήσεως λέξις ἐστί. QUINT. L. 10. c. 2. Id quoque (in quo magna pars erratur) vitandum, ne in oratione poetas nobis & hiſtoricos, in illorum operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique propoſita eſt lex, ſuus decor. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit, nec tragœdia ſocco ingre-

ditur

ditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: Id imitemur, quod commune eſt.

v. 172. *Omnia nec pariter* &c.] ERASMUS *de Cop. Verb.* c. 11. Cavendum ne, quod quidam faciunt, citra delectum, velut ex acervo, quod primum occurrit, quolibet loco dicamus.

v. 177. *Multa decent ſcenam, quæ* &c.] Dictionem Tragœdiæ aptam diverſam eſſe ab ea, quæ epico poemati convenit, docet ARISTOT. *Rhet.* L. 3. c. 1. *Οὐδὲ γὰρ οἱ τὰς τραγῳδίας ποιοῦντες ἐκ χρῶνται τῇ αὐτῇ τέχνῃ, ἀλλὰ τῶν ὀνομάτων ἀφήκασιν, ὅσα παρὰ τὴν διάλεκτόν ἐστιν· οἷς δὲ οἱ πρῶτοι ἐχόσμουν, & ἐπὶ τοῦ οἱ τὰ ἑξάμετρα ποιοῦντες, ἀφήκασι.*

v. 179. *Ergo alte veſtigia oculis* &c.] QUINT. L. 10. c. 1. Cum [verba] ſint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius ſonantia, debent eſſe non ſolum nota omnia, ſed in promptu, atque (ut ita dicam) in conſpectu, ut, cum ſe judicio dicentis oſtenderint, facilis ex his optimorum ſit electio. ERASMUS *De Cop. Verb.* c. 11. Sunt alia verba aliis honeſtiora, ſublimiora, nitidiora, jucundiora, vehementiora, vocaliora, ad compoſitionem magis concinna: proinde delectus adhibendus eſt, ut ex omnibus optima ſumat.

v. 183. *Rejice degenerem turbam* &c.] PETRONIUS, Effugiendum eſt ab omni verborum (ut ita dicam) vilitate, & ſumendæ voces a plebe ſummotæ, ut fiat,

Odi profanum vulgus, & arceo.

LONGINUS *περὶ ὕψους* c. 42. *Οὐ δεῖ καταπτῶν ἐν τοῖς Ὑψίστοις εἰς ῥυπαρὰ, ἢ ἐξυφασμένα, ἂν μὴ σφόδρα ὑπὸ τινὸς ἀναγκης συνδιωκώμεθα· ἀλλὰ ἔ πραγμάτων ἀξίστοι ἂν ἔ τὰς φωνὰς ἔχειν ἀξίας.*

v. 185. *Quî fieri id poſſit veterum* &c.] ERASMUS *de Cop. Verb.* c. 11. Ut judices, præſtabit diligenter obſervata ſermonis elegantia, proprietaſque. Ut quam plurima recondas, omnis generis autorum aſſidua lectio dabit.

v. 188. —— *Longe ſi quis ſupereminet omnes* &c.] CICERO *de Oratore* L. 2. c. 22. Hoc ſit primum in præceptis meis, ut demonſtremus, quem imitetur, atque ita, ut quæ maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentiſſime perſequatur: tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat.

v. 193. *Haud tamen interea* &c.] QUINT. L. 10. c. 2. Cum totum exprimere, quem elegeris, pene ſit homini inconceſſum, plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quidque loco conveniat, aptemus.

v. 196. *Nec dubitem verſus hirſui* &c.] *Id.* L. 2. c. 5. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum poſitis, ſuaſerim & antiquos legere, ex quibus ſi aſſumatur ſolida & virilis ingenii vis, deterſo rudis ſeculi ſqualore, tum noſter hic cultus clarius eniteſcet.

v. 210. *Atque ideo ex priſcis ſemper* &c.] LONGINUS, περὶ Ὕψους c. 13. Ἀλλὰ τις πιθανὸν τὸ εἰρημένον οὐδὲς ἐπὶ τὸ ὑψηλὸν τείνει. Ποῖα δὴ, καὶ τίς αὕτη; ἡ τῶν ἔμπροσθεν μεγάλων συγγραφέων καὶ ποιητῶν μίμησίς τε, καὶ ζήλωσις. Καὶ τοῦτο γε, φίλτατε, ἀπρὶξ ἐχώμεθα τοῦ σκοποῦ.

v. 228. *Seu cum certandi priſcis ſuccenſa libido*] *Platonem* in ſcriptis ſuis, hac æmulandi libidine ſuccenſum, cum *Homero* quaſi de palma decertare tradit LONGINUS, περὶ ὕψους c. 13. Οὐδ' ἂν ἐμοὶ σοίσεται μοι δοκεῖ τηλικαῦτά τινα τοῖς τῆς φιλοσοφίας δόγμασι, καὶ εἰς ποιητικὰς ὕλας πολλαχοῦ συνικόντα, καὶ φράσεως, εἰ μὴ περὶ αὐτοῦ τοῦ Διὸς τοῦτ' ἦν μοῦ τὸ Ὁμήρου, ὡς ἀντιγωνιστὴς τις αὐτῷ ἐκ τοῦ ἴσου ἤδη τεθαυμασμένῳ, ἵνα μὴ φιλονικήτερον, καὶ αἰσχρὸν ἁμιλλώμενον, ἐκ ἀναφιλῶς δ' ὅμως, δηλονότι. Ἀγαθὴ γὰρ, κατὰ τὸν Ἡσίοδον, ἔρις ἥδε βροτοῖσι. καὶ τῷ ὄντι καλὶς ἔτως, καὶ ἀξιοπαίνητος ἐυκλείας ἀγὼν τις καὶ φέρτως, ἐν ᾧ ἔστι καὶ ἡττᾶσθαι τοῦ ἐνδόξου ἐκ ἄδοξον.

v. 229. *Et poſſeſſa diu, ſed enim male condita victis*
Extorquere manu juvat, in meliuſque referre.] Hoc feciſſe *Virgilium*, ſub *Afranii* perſona, aſſerit MACROBIUS, *Saturn.* L. 6. c. 1. Si hæc ſocietas & rerum communio poetis ſcriptoribuſque omnibus inter ſe excercenda conceſſa eſt; quis fraudi *Virgilio* vortat, ſi, ad excolendum ſe, quædam ab antiquioribus mutuatus ſit? Cui etiam gratia habenda eſt, quod nonnulla ab illis in opus ſuum, quod æterno manſurum eſt, transferendo fecit, ne omnino memoria veterum deleretur. Quos, ſicut præſens ætas oſtendit, non ſolum neglectui, verum etiam riſui habere cœpimus. Denique & judicio transferendi & modo imitandi conſecutus eſt, ut quod apud illum legerimus alienum, aut aliud eſſe malimus, aut melius hic, quam ubi natum eſt, ſonare miremur.

v. 243.

v. 243. *Ergo agite ô mecum ſecuri accingite furtis*
Una omnes, &c.] Imitandi veteres rationem, quam *Vida* aſſequendam eſſe ſtatuit, furti nomine inuſtam eſſe nonvult LONGINUS περὶ Υψους, c. 13. Εσι δ' ὁ κλοπὴ τὸ πᾶγμα, ἀλλ' ὡς ἀπὸ καλῶν εἰδῶν, ἢ πλασμάτων, ἢ δημιουργημάτων ἀπτύπωσις.

v. 264. *Non tamen omnia te priſcis fas fidere* &c.] QUINT. L. 10. c. 2. Ante omnia igitur imitatio per ſe ipſa non ſufficit; quia pigri eſt ingenii contentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa.

v. 272. *Uſque adeo patriæ* &c.] HORAT. *de Art. Poet.*

—— Nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi *Græco* fonte cadant, parce detorta.

v. 279. *Nonne vides mediis ut multa* &c.] QUINT. L. 1. c. 5. Hæc diviſio mea ad *Græcum* ſermonem præcipue pertinet; nam & maxima ex parte *Romanus* inde converſus eſt, & confeſſis quoque *Græcis* utimur verbis, ubi noſtra deſunt.

v. 288. *Sæpe etiam vidi veterum* &c.] ERASMUS *de Cop. Verb.* c. 11. Habent ſuam & peregrina gratiam, in loco adhibita; velut cum *gazas* dicimus, quæ vox *Perſica eſt.*

v. 294. *Quin & victa ſitu ſi me* &c.] QUINTIL. L. 1. c. 6. Verba à vetuſtate repetita non ſolum magnos aſſertores habent, ſed etiam afferunt orationi majeſtatem aliquam non ſine delectatione. Nam & autoritatem antiquitatis habent, &, quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant. Sed opus modo; neque crebra ſint hæc, neque manifeſta, (quia nihil odioſius eſt affectatione,) nec utique ab ultimis, & obliteratis repetita temporibus. *Idem.* L. 8. c. 3. Verbis propriis dignitatem dat antiquitas; namque & ſanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus quilibet non fuerat uſurus, eoque ornamento accerrimi judicii *P. Virgilius* unice eſt uſus. *Olli* enim, & *quianam*, & *ni*, & *pone* pellucent, & aſpergunt illam, quæ etiam in picturis eſt gratiſſima, vetuſtatis inimitabilem arti autoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda.

v. 302. *Tum quoque ſi deerunt rebus* &c.] Periphraſin non tantum urgente verborum inopia, verum etiam ornandæ dictionis gratia, eſſe uſurpandam cenſet LONGINUS

ſed Ὕψους c. 28. Ἡ περίφρασις ὡς ὑψηλοτέρου, ἐάν τις ἄρα, εἴρηται δεήσεται. Item J. SCALIGER *Poet.* L. 4. c. 35. Multum affert ornamenti Περίφρασις, quum rem unam multis deſignamus verbis: valde nam abhorret à communi uſu loquendi.

v. 305. *Verba etiam tum bina juvat* &c.] QUINTIL. L. 1. c. 5. Voces compoſitæ aut præpoſitionibus ſubjunguntur, ut *innocens*, interdum repugnantibus inter ſe duabus, quale eſt *imperterritus*: alioqui poſſunt aliquando continuari duæ, ut *incompoſitus*, *reconditus*, &, quo *Cicero* utitur, *ſubabſurdum*: aut ex duobus quaſi corporibus coaleſcunt, ut *maleficus*: nam ex tribus noſtræ utique linguæ non conceſſerim.

v. 312. Argolici, *quos iſta decet* &c.] *Idem ib.* Res tota magis *Græcos* decet, nobis minus ſuccedit, ideoque, cum χυτροποδίνα mirati ſumus, *incurvicervicum* vix à riſu defendimus.

v. 329. *Sed neque verborum cauſa* &c.] CICERO *de Orat.* L. 1. c. 12. Quid eſt tam furioſum quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia, nec ſcientia? QUINTIL. L. 8. in *Proem.* Sit cura elocutionis quam maxima, dum ſciamus tamen nihil verborum cauſa eſſe faciendum, cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta.

v. 343. *Nec tamen interdum vacuas* &c.] *Idem* L. 8. c. 6. Ornat Ἐπίθετον, quod recte diximus appoſitum, à nonnullis ſequens dicitur. Eo poetæ & frequentius & liberius utuntur, namque illis ſatis eſt convenire verbo cui apponitur, & ita *dentes albi*, & *humida vina* in his non reprehenduntur.

v. 355. *Hue ades, hic penitus* &c.] Hic, ubi de ſtyli harmonia materiæ accommodanda agitur, autoris noſtri curioſa felicitas maxime elucet. Quam artificioſe variantur numeri! Quanta venuſtate leges in iis traditas illuſtrant! Quam fulget *Mantuanæ* Muſæ *Cremonenſis* æmula! & dum recludendis illius opibus immoratur, quam decore ſuas, vix impares, oſtendit! Sed hæc adeo ſunt in propatulo, ut ea vix quiſquam non obſervet, & admiretur.

v. 366. *Haud ſatis eſt illis utcunque* &c.] J. CÆS. SCALIGER. *Poet.* L. 4. c. 48. Diſpoſitio verborum eſt collocatio

catio apta ad efficiendam concinnitatem æqualem rei. Quare quum iidem pedes eodem in verſu conſtare poſſint, aliam ſæpenumero inimus collocandi rationem, quam exiſtimamus accommodatiorem ad ſententiam explicandam. Neque enim ſatis eſt hoc id rei verbo ſignificari, neque ſic eas conjungi dictiones, ut ipſa rei conditio expleatur, ſed ut is vocum ordo inſtituatur, ut ex earum ſono res ipſa quaſi elidatur, atque eliciatur.

v. 368. *Atque ſono quæcunque* &c.] DIONYSIUS HALICARN. *de Struct. Orat.* Sect. 16. Κατασκευάζουσι οἱ ποιηταὶ καὶ λογογράφοι, ὅταν χρῆμα ὁρῶντες, οἰκεῖα καὶ δηλωτικὰ τῶν ὑποκειμένων τοῖς ὀνόμασιν. Πολλὰ γὰρ καὶ παρὰ τῶν ἠχούντων λαμβάνουσιν, ὡς ἐκεῖνοι κεκλασκεύασαν, ὅσοι μιμητικώτατα τῶν πραγμάτων εἰσίν. *Idem* Sect. 20. Δεῖ τὸν ἀγαθὸν ποιητὴν τε καὶ ῥήτορα μιμητικὸν εἶναι τῶν πραγμάτων, ὑπὲρ ὧν ἂν τοὺς λόγους ἐκφέρῃ, μὴ μόνον κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν.

v. 370. *Nam diverſa opus eſt* &c.] QUINTIL. L. 8. c. 3. Pejor hac Ὁμοιολογία eſt, quæ nulla varietatis gratia levat tædium, atque eſt tota coloris unius, quæ maxime deprehenditur carens arte oratoria, eaque & in ſententiis, & figuris, & compoſitione longa, non animis ſolum, ſed etiam auribus eſt ingratiſſima.

v. 377. *Ecce aliquis ſubit egregio* &c.]

v. 379. *Contra alius rudis, informes* &c.] Hic eam metri pulchritudinem & deformitatem, quas depingit, *Vida* conſequutus eſt. Ob numeros eodem modo variatos, & perſonis ſuis apte reſpondentes *Homerum* laudat DIONYSIUS HALICARN. *de Struct. Orat.* Sect. 16. Πολυφωνότατος (inquit) ἁπάντων τῶν ποιητῶν Ὅμηρος, ὅταν ὄψιν ἐμφέρῃ, καὶ κάλλος ἡδονῆς ἐπαγωγὸν ἐπιδείξασθαι βούληται, τῶν τι φωνήεντων τοῖς κρατίστοις χρήσεται, καὶ τῶν ἡμιφώνων τοῖς μαλακωτάτοις, καὶ ἐκ κατασυκνώσει τοῖς ἀφώνοις τοὺς συλλαβὰς, μηδὲ συγκόψει τὰς ἤχους ἀπαραπεθεὶς ἀλλήλοις τὰ δυσεκφορα, σχεδίαν δέ τινα ποιήσει τὴν ἁρμονίαν τῶν γραμμάτων, καὶ ῥέουσαν ἀλύπως λέξιν καὶ ἀκοῆς. Ὅταν γοῦν ὀκτρᾷ, ἢ φοβεῖται, ἢ ἀγάμενος ὄψιν εἰσάγῃ, τῶν τι φωνήεντων ἐκ τοῖς κράτιστοις θήσει, ἀλλὰ τῶν ψοφοειδῶν ἢ ἀφώνων τὰ δυσεκφορώτατα λήψεται, καὶ κατασυκνώσει τούτοις τοὺς συλλαβάς.

v. 383. *Sed facies ſua pro meritis* &c.] Non abſimile de variando ſolutæ orationis ornatu dicit QUINTIL. L. 8. c. 3.

c. 3. Illud obſervatione dignius, quod hic ipſe honeſtus ornatus pro materiæ genere debet eſſe variatus.

E verſuum ſono res deſcriptas imitante pulchritudinem enaſci non mediocrem, ex exemplis quæ ſequuntur abunde patet. Plerique autem poetarum adeo vel ingenii vel judicii inopia laborarunt, ut eam parce aſſequuti ſint. *Homerus* & *Virgilius* naturæ duci fidelius paruere. Eos legitimum carminis heroici ſonum longe melius calluiſſe vix ulla *Iliados*, *Odyſſeæ*, & *Æneidos* non fatetur pagina. Vide *Dionyſ. Halicarn. de Struct. Orat.* Sect. 15, 16, & 20. *J. Cæſ. Scalig. Poet.* L. 4. c. 48. *J. Pontan. Poet. Inſtit.* L. 2. c. 9. & *Voſſ. Inſt. Poet.* L. 3. c. 7.

v. 386. —— *Spumare reductis*
Convulſum remis roſtriſque ſtridentibus æquor.] *Æn.* L. 5. v. 143. L. 8. v. 689.

v. 388. *Tunc longe ſale ſaxa ſonant*] *Æn.* L. 5. v. 866.

v. 388. —— *Freta ventis*
Incipiunt agitata tumeſcere] *Georg.* L. 1. v. 356.

v. 390. —— *Refracta remurmurat unda.*] *Æn.* L. 10. v. 291.

v. 391. —— *Cumulo inſequitur præruptus aquæ mons.*] *Æn.* L. 1. v. 109.

v. 392. —— Trinacriam *cernas procul intremere omnem*] *Æn.* L. 3. v. 581.

v. 393. —— *Montes concurrere montibus altos.*] *Æn.* L. 3. v. 692.

v. 402. *Carmine nec levi &c*] *Æn.* L. 10. v. 655.

v. 395. *Leniit in morem ſtagni, placidæque paludis.*] *Æn.* L. 8. v. 87.

v. 395. *Labitur uncta vadis abies.*] *Ibid.* v. 91.

v. 396. —— *Natat uncta carina.*] *Æn.* L. 4. v. 398.

v. 399. —— *Stipulas flamma crepitante cremari.*] *Georg.* L. 1. v. 85. *Æn.* L. 7. v. 74.

v. 400. *Exultant latices cum teda ſonore*
Virgea ſuggeritur coctis undantis aheni.] *Æn.* L. 7. v. 460.

v. 402. *Carmine nec levi &c.*] *Æn.* L. 10. v. 653.

v. 406. *Panditur interea domus omnipotentis* Olympi.] *Ib.* v. 1.

v. 409. *Nocte ſedens ſerum canis importuna per umbras,*
Ut quondam in buſtis, aut culminibus deſertis.] *Æn.* L. 12. v. 863.

v. 414. *Et magni membrorum artus, magna oſſa, lacertique.* *Æn.* L. 5. v. 422.

v. 415. —— *Siquid geritur molimine magno,*

Adde

Adde moram, &c.] Ita, ſub finem *Odyſſ.* L. 11. ubi *Siſyphus*, ingens ſaxum ſupra montis cacumen protrudere conatus, depingitur, arduum ejus laborem tardus vocabulorum inceſſus optime repræſentat. Arte ſimili, ubi *mora fuiſſet damno*, derepente poeta tenorem mutat, & ſaxi relabentis celeritatem celeritate carminis exæquat. Hi ſunt verſus,

Καὶ μὲν Σίσυφον εἰσεῖδον, κρατερὰ ἄλγε' ἔχοντα,
Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν.
Ητοι ὁ μὲν, σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε,
Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον. ἀλλ' ὅτε μέλλοι
Ακρον ὑπερβαλέειν, τότ' ἀπερρίψασκε κραταιΐς.
Αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Vid. *Dion. Halic. de Struct. Orat.* Sect. 20.

v. 417. —— *Gleba coactis*
Æternum frangenda bidentibus.] *Georg.* L. 2. v. 400.

v. 419. *Cornua velatarum obvertimus antennarum.*] *Æn.* L. 3. v. 549.

v. 422. —— *Cape ſaxa manu, cape robora, paſtor.*] *Georg.* L. 3. v. 420.

v. 423. *Ferte citi flammas, date tela*] *Æn.* L. 4. v. 594. & L. 9. v. 37.

v. 425. —— *Ruit Oceano nox.*] *Æn.* L. 2. v. 250.

v. 426. —— *Procumbit humi bos.*] *Æn.* L. 5. v. 481.

v. 429. —— *Quierunt cum freta ponti,*
Poſtquam auræ poſuere.] Reſpiciuntur forſitan *Æn.* L. 7. v. 6. & 27.

v. 432. —— *Senior cum telum imbelle ſine ictu*] *Æn.* L. 2. v. 544.

v. 435. *Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires.*] *Æn.* L. 5. v. 396.

v. 437. —— *Præfractaque quadrupedantum*
Pectora pectoribus perrumpere.] *Æn.* L. 11. v. 614.

v. 440. *Nulla adeo vatum major* &c. QUINT. L. 11. c. 3. Ornatus omnis non tam ſua, quam rei, cui adhibetur, conditione conſtat: nec plus refert quid dicas, quam quo in loco.

v. 442. *Nunc illos animum ſummittere cernas*, &c.] ERASMUS *de Cop. Verb.* L. 1. c. 3. Iidem autores non in palæſtra ſolum, verum etiam in opere ſerio nonnunquam oſtentanda

ſtentanda copia luſerunt, dum rem eandem nunc ita cohibent, ut adimere nihil queas, nunc ita locupletant, dilatantque, ut nihil poſſis adjungere.

Ob hanc eloquentiæ varietatem, rebus ſubjectis apte reſpondentem, *Virgilium* laudat *Macrobius. Saturnal.* L. 5. c. 1.

v. 459. *Non totam ſubito* &c.] HORAT. *de Arte Poet.*

—— Nonumque prematur in annum,
Membranis intus poſitis delere licebit
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.

v. 462. *At patiens operum ſemper* &c.] QUINT. L. 10. c. 4. Nec dubium eſt optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea, poſt intervallum, velut nova atque aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, tanquam recentes fœtus, blandiantur.

v. 466. *Interea fidos adit* &c.] HORAT. *de Arte Poet.*

— Si quid tamen olim
Scripſeris, in *Metii* deſcendat judicis aures,
Et patris, & noſtras.

v. 477. *Carmina quæ tantum ante* &c.] Carmen hoc cum decem proximis, J. *Cæſ Scaliger Poet.* L. 6. c. 4. inter ea refert, quæ fatetur eſſe divina, atque omni majora obtrectatione. Et quæ deinde ſequuntur (inquit) tanto ſtudio *Virgilium* imitandi perfecta ſunt, ut prope parem felicitatem aſſequuta eſſe videantur.

v. 488.] —— *Hic autem durate, poetæ,*
Gloria quos movet &c.] Appoſite ad hanc rem PLUTARCHUS in *Periclis* Vit. Ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρειαν, καὶ ταχύτητος ἐκ ἐπήνεσεν βάρος ἔργῳ μόνιμον, ἀδὲ ἀκρίβειαν. εὐδ' εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ ἀποδυσωπεῖσθαι χρόος, ἐν τῇ συντηξίᾳ τῷ γενομένῳ τὴν ἰσχὺν ἀποδίδοσιν.

v. 494. *Nec ſemel attrectare* &c.] HORAT. *de Arte Poet.*

—— Carmen reprehendite quod non
Multa dies, & multa litura coercuit; atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

v. 509. *Verum eſto hic etiam modus* &c.] QUINT. L. 10. c. 4. Ipſa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia ſcripta tanquam vitioſa redeant, & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe quod primum eſt, melius exiſtiment quicquid eſt aliud: idque faciant quoties librum in manus reſumpſerint

pſerint, ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque ut cicatricoſa ſint, & exanguia, & cura pejora.

v. 530. *Quando non artes ſatis ullæ* &c.] *Idem* L. 1. in *Proem.* Illud in primis teſtandum eſt, nihil præcepta atque artes valere, niſi adjuvante natura.

v. 533. *Ipſe viam tantum potui* &c.] Autor libri cui titulus *Orationes Tres Cremonenſium contra Papienſes in Controverſia Principatus* [habitæ coram Senatu *Mediolanenſi* A. D. MDL. & eodem anno *Cremonæ* impreſſæ] in Orat. ſecunda his verſibus videtur alludere. Ut poetarum (inquit) modo de poetis loquar, noſtra ætate a noſtris poetis ad ſumma inacceſſarum rupium juga per aſperrima montium molli admodum & plano tramite adductæ ſunt Muſæ. Ipſi tamen modeſtiſſime fatentur ſe ſperare alios poſt ſe futuros, qui viam, quam ipſi perruperunt, molliorem & faciliorem reddere poſſint, Muſis omnibus approbantibus; ſibi ſatis eſſe quod aditum patefecerint, & tantæ rei quaſi ſpecimen poſteris commonſtrarint.

Hæc ideo lectoris oculis ſubjicienda duximus, ne, cum autore *Indicis Bibliothecæ Barberinæ*, orationes eas *Vidæ* temere adſcribat.

FINIS.

24 OC 62